



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii
IX. Materiam successionis Testamentariæ, & Legitimæ,
nec non Parochorum, Regularium, & Patronorum jura,
aliaque ad rem Liturgicam spectantia ...**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1740

Titulus XXXI. De Regularibus, & Transeuntibus ad Religionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63798](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63798)

TITULUS XXXI.

De Regularibus, & Transeuntibus ad Religionem.

AD MONASTICA JURA *Ordo inordinatus Decretalium me ducit*, Boehmerus scribit in *Comment. ad h. t. §. 1.* Hæc ex animi sui Sententia scripsisse, facile persuademur: quomodo enim homo passionibus occæcatus ordinem videat? aut extra semitam gradiens recto ordine ad metam destinatam pertingat? Nos ordinem Rubricarum sequimur, quæ ita à Decretalium compilatore in hoc Libro dispositæ sunt, ut, Ordinis rationem neutiquam neglexisse videatur. In præcedentibus quippe Titulis jura & obligationes Clericorum *Sæcularium* exposuit, ad *Regulares* porro nunc transit, ac in eorundem jura, & obligationes inquirat, ex utroque vero statu Ordo Ecclesiæ Hierarchicus componitur, quis ergo Ordinis nexum hic desideret? Et licet Titulus *de Conversione infidelium*, quem inseruit, ad rem Monasticam pertinere non videatur, ordinem tamen propterea non vitiavit: etenim ut Augustinus ait *lib. 19. de Civit. DEI cap. 13.* *Ordo est parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* Hæc pro Boehmero in ordinem redigendo interim sufficiant. In fine *b. tit. fœces*, quas intulit, ipse exportabit.

§. I.

Quid sit status Regularis? Quando cœperit? Quæ illius prærogativæ, & varietas?

SUMMARI A.

1. Status Regularis describitur. 2. 3. 4. Tria Corollaria subjunguntur. 5. Quid peculiare habeat Societas Jesu quoad votorum nuncupationem exacto syrocinii biennio? 6. An inter Monachos & Regulares sit aliquod discrimen? 7. Item, an Monachis conveniat nomen Religiosi? 8. Et denum,

an

Monachi Clericorum numero veniant? 9. Status Regularis sua primordia ab Apostolis ducit. 10. Quare tanta varietas Religionum in Ecclesia? 11. Non expedit eas nimium multiplicari. 12. Excellentia status Regularis commendatur. 13. Bœhmerus textum in Nov. 5. Præfat. finistre interpretatur, propter quod corripitur.

1 **S**tatus Regularis à Regula nomen trahit, non quidem ad sensum. l. 1. ff. de R. J. ubi Regula dicitur, *que rem, que est, breviter enarrat, sed juxta cap. 2. dist. 3. ubi Regula describitur, que recte ducit, nec aliquando aliorum trahit: vel que regit, & normam recte vivendi præbet, & quod distortum pravumque est, corrigit.* Est ergo status regularis certa conditio hominum, qui sub certa, & hodie quidem à Sede Apostolica approbata, regula, editis tribus votis solennibus *Paupertatis, Castitatis, & Obedientie* in communi vivunt, & ad Christianam perfectionem tendunt. Unde, qui hanc vitam profitentur, *Regulares*, vel *Religiosi*, ipse vero modus in communi stabiliter vivendi *Religio* indigitatur.

2 Ex hac descriptione Colliges I. statum *Regularem* quoad se & substantiam suam esse *Juris Divini*, eo quod tria Consilia Evangelica, ad quæ servanda Religiosi sub voto se obligant, ipsum Christum Dominum authorem habeant, *Matth. 16. & 19.* quoad modum vero, quatenus is dicit certam normam sub hac vel illa regula vivendi, esse *juris positivi Ecclesiastici.*

3 Colliges II. Statum Regularem esse statum perfectionis, DEO que acceptissimum, quippe quo fit, ut homo se DEO perfectissima sui immolatione offerat; nam per votum *paupertatis* omnia bona, per votum *Ca-*

stitatis corpus, per votum denique *Obedientie* animam suam ceu hostiam DEO gratissimam victimat. Vid. S. Thom. 2. 2. Q. 184. art. 5. C.

Colliges III. Vota hæc debere esse 4 *solemnia*, quæ tamen solennitas non consistit in aliquo apparatu externo, aut certa verborum formula, sed in eo, quod quis in manu sui superioris cum irrevocabili sui ipsius traditione, & acceptatione ex parte Religionis professionem emittat, sive deinde verbo, sive scripto, sive publice, sive privatim id fiat. *cap. un. de vot. in 6.* Nec illud necesse est, ut in professione omnium trium votorum expressa mentio fiat, sed sicut *Sub-Diaconatus* Ordinem suscipiens voto *Castitatis* etiam sine speciali ejus mentione, vel promissione adstringitur, ita Religiosus, qui solam obedientiam secundum certam Regulam in Religione approbata spondet (prout in Ordine S. Benedicti fieri amat) omnibus tribus votis tenetur. *Navarr. in Comment. 1. de Regular. num. 18. Innocent. in cap. 20. h. t. num. 1.*

In Societate tamen JESU id peculiare est, quod etiam illi, qui post biennem Novitium vota *simplicia* emittunt, vere Religiosi declarati sint per Bullam Gregorii XIII. quæ incipit: *Ascendente Domino &c.* quod quidem fieri potuisse extra Controversiam est, cum solennitas votorum tantum juris positivi sit, *cit. cap. un. de vot. in 6. &*

præterea Religiosi Societatis non tantum vota ista simplicia emittant, sed insuper, quantum ex se est, Religioni approbata se tradant, ut ex parte quidem sua libere resilire non possint, à superioribus tamen ad sæculum remitti possint, & à votis liberari, adeo, ut propria voluntate Societatem desidentes quasi apostatae & excommunicati matrimonium ne quidem valide contrahere valeant, per *d. Bullam ascendente Domino*. V. Card. de Luca *de Regul. discurs. 62. num. 11.*

6 Quæris fortasse, an inter *Regulares & Monachos* sit aliquod discrimen? Resp. Spectato nominis etymo omnino differentiam assignari posse: *Monachi* enim propriè vocantur illi, qui vitam contemplativam profitentur, & *solitarii*, seu ab omni hominum confortio separati vivunt. Id quod vox *Μοναχὸς* denotat, quæ latine idem significat, ac *Solitarius*. Barbof. *J. E. V. lib. 1. cap. 41. num. 16.* In communi tamen hominum sermone, imo & in jure omnes viri Religiosi *Monachi* vocantur, sicut feminae in claustris degentes *Moniales*, & omnes Conventus Religiosi *Monasteria*, prout etiam nomine Abbatum, Præpositi, alique Prælati Regulares veniunt. Textus factis clarus in *cap. 2. de Postul.* & ibi Panormit. *num. 1.* Vid. Benedic. Hæften in *Disquisit. Monast. lib. 3. tract. 1. Disquisit. 2. pag. 265. & seq.*

7 Sed an æque *Monachis* nomen Religiosi conveniat, fortassis dubitaveris? Dubitavit, imo negavit, citra ambitionis notam Monachos posse hoc nomen usurpare ERASMUS ROTERODAMUS, Monachorum osor, & mastyx in suo *Ecclesiaste sive de ratione*

concionandi lib. 3. eo quod Religiosum dici idem sit, ac *Sanctum*, vel *pium* nominari, quod utique prædicatum sibi soli Monachi arrogare nequeunt, sed illis omnibus commune est, qui per Christianarum virtutum studium se totos Christo addixerunt. Verum hanc crisin nullo prudenti fundamento nixam jure merito castigat Benedic. Hæftenus *cit. lib. 3. tract. 1. disquisit. 4. pag. 270. & seq.* ubi patenter ostendit, nomen *Religiosi* non modo Recentioribus, nobisque vicinioribus, verum etiam primis Ecclesiæ sæculis *Monachis* fuisse inditum.

Sciscitaris ulterius, an *Monachi Clericorum* nomine veniant? Resp. Antiquitus & spectata Monastices origine *Monachos*, sicut Clericali characteri non insigniebantur, nec ad sacra Altaris ministeria deputabantur, ita *Clerici* quoque nomen non meruisse, ita Hæftenus in *Disquisit. Monast. Prologom. 18. in vitam S. Benedicti §. 3.* Card. de Luca *de Regul. discurs. 1. n. 5. & 2. seqq.* Van-Espen *J. E. V. part. 1. tit. 22. cap. 6. num. 2.* Thomassin. *de vet. & nov. Eccles. discipl. part. 1. lib. 2. cap. 93.* Vincent. Petra in *Comment. ad Constit. Apost. tom. 2. pag. 4. & seq.* & ex heterodoxis Josephus Bingham *de Antiquit. Ecclesiast. vol. 3. lib. 7. cap. 7. §. 7.* Boehmerus ad *h. t. §. 19.* & perfidus ille Archi-Episcopus Spalatenfis Marcus Antonius de Dominis *de Republ. Eccles. lib. 2. cap. 12. à num. 9. usque ad 14.* Hodie tamen, quin *Monachi* re & nomine *Clerici* sint, ambigendi non est locus teste laudato Cardin. de Luca *de Regul. discurs. 62. n. 10.* cum olim quoque non fuerint meri *Laici*, sed quasi medii inter *Clerum &*
po-

populum, ut ex Dionysio Areopagita Epist. 8. ad Demophilum Monachum. demonstrat Hæstenus cit. loc. & Colligitur ex Concilio Chalcedonensi Can. 8. item cap. 9. § 12. C. 16. Q. 1. ad stipulante quoque Schiltero Instit. Jur. Canon. lib. 1. tit. 11. §. 6. quin, quod status Monasticus etiam sub suis auspiciis, non fuerit pure *Monasticus* sed *Clericali* mixtus, invictissimis argumentis ostendit Eusebius Carlynmæshin in *Antilog. adversus Comment. in Regul. S. August. D.D. Augustini Erath Quest. 1. à num. 59. usque ad num. 70.* unde non possumus satis demirari proterviam supra nominati Marci de Dominis qui in cit. cap. 12. à num. 51. usque ad num. 61. evincere conatur, vitam *Monasticam* cum *Clericali* pugnare, & quasi eidem oppositam esse, cum tamen ex testimoniis Pontificum, & Patrum, quæ ibidem producit, nil aliud colligere liceat, quam quod ambitio, & inordinatum desiderium suscipiendi SS. Ordines sub schemate salutis in proximo procurandæ in Monachis damnatur. Sed hoc non probat, *Clericatum* non posse stare cum *Monachatu*, siquidem ambitio illud malum est, quod Laicorum quoque opera quæcunque, dum arrodit, corrumpit, quidni in Monacho tanto foedior hæc macula appareat? Et ideo S. Benedictus in *Regul. cap. 62.* non improbavit in Monacho Clericalis Ordinis dignitatem, aut eam tanquam incompatibilem cum vita Monachali agnovit, sed ambitionem in Monacho Clerico procul exesse iussit, dicens: *Ordinatus (Monachus) caveat elationem aut superbiam.* Consulatur Thomassia. de veter. & nov. Eccles. discipl.

part. 1. lib. 3. cap. 13. num. 4. 5. § 11. sed quid immoramur huic Authori refutando, cujus scripta omnia non modo ut temeraria, & scandalosa, sed ut formaliter hæretica Sacra Sedes damnavit, & proscripsit. V. Ind. libr. prohibet.

De antiquitate status Regularis illud paucis innuisse sufficiat, eundem secundum se, suamque substantiam natales suos derivare ab Apostolis, qui sicuti Primitiæ erant vitæ Clericalis, ita iidem erant, qui Ordinem Monasticum solenni trium votorum nuncupatione initiarent, utriusque status institutore Christo Domino. Ita cum torrente DD. Eminent. Vincent. Petratom. 1. Comment. ad Constit. Apostol. pag. 290. § seq. num. 3. 4. § 5. & Suarez tom. 3. de Relig. lib. 3. cap. 2. id testimonio SS. PP. Basilii, Chrysostomi, Epiphani, S. Thomæ Aquinatis confirmans, qui ultimus Angelicus Doctor 2. 2. Q. 88. art. 4. ad 3. expresse dicit: *Apostoli intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum relicto omnibus sunt secuti hoc ipsum palam professi sunt PP. Concilii ad Theodoni villam habiti Anno 844. cap. 3. vocantes, sacrum Monasticum Ordinem à DEO inspiratum, & ab ipsis Apostolis fundatum, seu à nominatissimis ac sanctissimis Patribus ex cultum.* Vid. tom. 9. Concil. edit. Venet. pag. 943. Unde S. Bernardus in Apologia ad Guilielmum Abbatem exclamans ait: *Heu me miserum qualemcunque Monachum, cur adhuc vivo, videre ad id devenisse Ordinem nostrum, Ordinem scilicet, qui primus fuit in Ecclesia, imo, à quo cæpit Ecclesia! refero etiam testimonium Alcanii Tamburini*

Ff ;

qui

qui de *Jur. Abb. tom. 1. disput. 2. Q. 4.* ita inquit: *Scimus ex Concil. Trid. Sess. 22. Can. 2. Apostolos ad noxam sacre Cœnae Clericos & Sacerdotes fuisse institutos. Scimus pariter ex D. Augustino Thoma, aliisque Doctoribus illos ante Passionem in Manibus Christi Domini tria vota ad Monasticen pertinentia, emisisse: que quidem vota, cum Monastici status sint substantialia, non est dubium, quantum ad rem ipsam essentialiter, eodem fere tempore, utrumque statum & Clericorum, & Monachorum, extitisse, unumque corpus mixtum sub SS. Apostolis fuisse in Ecclesia. Ut subinde S. Chrysostomus lib. 3. contra vituperat. vit. Monastic. citra hyperbolen scribere potuerit, Ecclesiam DEI in ortu suo fuisse quasi Monachalem Religionem. Mittimus aliorum PP. Scriptorumque Ecclesiasticorum testimonia, quæ studiosè collegerunt jam semel laudatus Eusebius Carlymæssin in *d. Antilog. Quest. 1. num. 59. & seqq.* Joann. Bapt. Rottner in *Margarit. Cœlest. Quest. 3. art. 1. §. 2.* Hætenus in *Disquisit. Monast. tract. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.* ubi enumerat Legislatores, qui per prima 12. Sæcula institutum Monachorum à Christo conditum, ab Apostolis primitus coli ceptum, deinceps tam in Oriente, quam Occidente maximo Ecclesiæ bono, & incremento strenue propagarunt. Illud interim Thomassino libenter concedimus, quod ante tempora Constantini, quo Ecclesiæ diu antea persecutionibus exagitata pax & tranquillitas rediit, nulla condita fuerint Monasteria, nec illa regularis forma jam obtinuerit, quæ à Sæculo IV. & deinceps sub Antonio, Pachomio, Benedicto, aliis-*

que efflorescere cœpit. V. Thomass. cit. lib. 3. cap. 12. id tamen negari nequit, fundamenta status Regularis jam in primordiis Ecclesiæ à Servatore nostro fuisse posita, ipsosque Apostolos per solennem trium votorum nuncupationem ejus factores, promotorésque extitisse, & ideo notanter diximus, statum regularem quoad se, suamque substantiam ab Apostolis originem duxisse. Vid. Tamburinus cit. disput. 2. per tot. Quid heterodoxi de ortu & progressu status Monastici garriant, in fine h. t. dicetur.

Varietas Religionum, in quas status Regularis per vices temporum se dividit, tantum abest, ut unitatem fidei, vel charitatis ruperit, ut eam potius auxerit, & corroboraverit, ipsique Ecclesiæ novis itendidem Regularium Ordinum accessionibus singularem, conciliaverit splendorem juxta illud Psalm. 44. *Astitit Regina (Ecclesia) à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Id quod Gregorius XIII. in Bulla *Ascendente Domino* &c. his verbis expressit, *cum Divina Providentia pro temporum necessitate varia, & salutaria Ordinum instituta in Ecclesia sua produxerit, novisque in ea subinde nascentibus morbis nova remedia, novisque emergentibus hostium impugnationibus nova Regularium Ordinum auxilia excitavit, & cuique illorum juxta cujuslibet peculiaris gratiæ vocationem peculiare quasdam notas, peculiaris insignia, & opportuna ad finem, quem intendunt, media suggererit &c.* Nec desunt rationes, quæ hanc Ordinum diversitatem commendent. Sicut enim in Ecclesia varia sunt ministeria, inter homines variis

ge-

genii, inclinationes, & propensiones, inter tempora variæ vicissitudines; ita varias subinde Religiones, & Ordines excitari è re Ecclesiæ visum est, ut, dum una religio meditationibus sanctis, ac cœlestibus contemplationibus absorpta cum Magdalena ad pedes Domini accumbit, altera cum Martha in ministerio vitæ activæ occupata salutem proximi operetur. Et, quoniam varia hæresum monstra hæcenus Ecclesiam impugnarunt, ita sapientissimo Divinæ Providentiæ consilio factum est, ut alia, atque alia religio in Ecclesiæ præsidium nata has pestes extirparet. Nec tamen hæc Religionum multiplicitas scindit unitatem fidei, aut charitatis, ut hæretici ogganiunt, nec propterea timenda sunt Ichismata, quod tot sæculorum experientia luculenter demonstrat, neque enim hæcenus auditum fuit inter Religiones: *ego sum Pauli, ego autem Apollo*, id quod Paulus reprehendit *1. Corinth. 1. § 3.* nam omnes Religiones in fine conveniunt, etsi variis mediis variisque exercitiis ad eundem enitantur, differentia hæc subinde est accidentalis, cum in tribus votis, quæ substantiam & essentiam Religionis constituunt secundum D. Thomam *2. 2. Q. 186. art. 7. ad 2.* una religio ab altera non distat. Appolite ad rem S. Bernardus in *Apolog. ad Guilielm. Abb.* Nec mirum, si in hoc exilio peregrinante Ecclesia sit hæc pluralis unitas, & una pluralitas, cum in illa quoque patria in qua & ipsa regnabit, futura sit aliqua dispar aequalitas, cum scriptum sit: *in domo patris mei mansiones multe sunt.* De utilitate varietatis Religionum vide

jam semel laudatum P. Rottner *Qu. 4. art. 1. § 3.*

Fatendum nihilominus est, ex nimia Religionum multiplicatione posse confusionem oriri, idcirco Patres Concilii Lugdunensis satius esse existimantes his malis, antequam oriantur, occurrere, quam post vulneratam causam medelam querere *arg. l. ult. C. in quib. caus. in integr. restit.* proinde statuerunt, *ne aliquis de cætero novum Ordinem, aut Religionem adinveniat, vel habitum novæ Religionis assumat, à Sede Apostolica non approbatæ. cap. un. princ. de Religios. domib. in 6.* quod ipsum jam antecedenter in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cautum, decretumque fuisse legitur in *cap. ult. de Religios. domib.* Vide, quæ ad hunc textum habet eruditissimus interpres Gonzalez *num. 2. § 3.*

Dignitatem, excellentiamque status Regularis illud cumprimis commendat, quod alumnos suos, quasi Angelis parificat, ipsaque professio, qua huic vitæ se perpetuo adscribunt, instar Baptismi omnes prioris vitæ noxas extinguit. Ita Patres Ecclesiæ tum Latinæ, tum Græcæ perpetuò sensere. Refero verba Rodriguez *Exercit. spirit. part. 3. tract. 2. cap. 4. Tanti DEO,* ait, *actus ille est, quod quis se totum ipsius obsequio per hæc tria Religiosa vota mancipat, ut tres Sancti, pariterque Theologi asserere non dubitent, hominem consequi Remissionem omnium Peccatorum; ita quidem certo, ut, si tunc mori eum contingeret, immanis plane à pœnis purgantis ignis, non minus recta in cœlum, quam recens baptizatus aliquis evolaret. Quem idcirco SS. Hie-*

ronymus, Cyprianus, Bernardus alterum Baptismum appellant. Neque vero id fieri per viam indulgentiarum existimandum est (cum plenariam peccatorum veniam Novitii cito confessi, panéque cœlesti pasti, ipso Religionis ingressu unâ cum Religioso habitu accipiant) sed est hoc facinus natura sua tam eximium atque heroicum, ut sine indulgentia etiam cuncta pœnarum, quæ peccando contraxerant, nomina expungat. Hinc ait Illustr. Caramuel Theolog. Regul. lib. 8. de *Vot. substant.* Professio nihil omnino aliud, quam secundus Baptismus. Religiosus ergo cum vota emittit, abluitur, & transit in Angelum. Unde apud antiquos habitus Religiosorum professorum habitus Angelicus vocabatur, ut est apud Ruffinum Presbyterum in *Hist. Eccles. lib. 11. cap. 11.* qui de Abbate quodam scribens ait: *Multorum erat Monasteriorum Pater, qui habitu videbatur honoris Angelici.* Vide de hoc argumento Christian. Lupum tom. 5. oper. pag. 273. & 2. seqq. ubi tam ex Patribus Græcis, quam Latinis demonstrat, professionem tanquam alterum Baptismum semper in Ecclesia habitam fuisse, ipsumque Religiosorum habitum Angelicum ob status Sanctitatem nuncupatum fuisse. Vid. S. Thom. 2. 2. Q. 189. art. 3. ad 3. & Hæstenum in *Disquis. Monast. lib. 4. tract. 8. disquis. 2. & 3.* Quapropter Justinianus Imperator ex communi Orientalis Ecclesiæ Sententia persuasus ita in laudem status Monachalis ad Epiphanium Constantinopolitanum Patriarcham scripsit: *Conversacionis Monachalis vita sic est honesta, sic commendare novit DEO ad hoc venientem hominem, ut omnem quidem humanam*

ejus maculam detergat, purum autem declaret, ac rationabili nature decentem, & plurima secundum mentem operantem & humanis cogitationibus celsiorem reddat. Vid. Nov. 5. in *Præfat.*

Ex quo Textu, aliisque Legibus, 17 quas Justinianus circa Clericos, Episcopos, Monachos, & Ecclesias condidit, heterodoxi probare contendunt, Imperatori, Sacerdotium unâ & regnum esse traditum, eumque jus circa sacra non ut Episcopum, sed, quâ Principem politicum exercere. Joachim. Stephani ad Nov. 5. num. 1. Audiat Ecclesiæ Protestantium in ruinas fatiscantis restaurator almficus Henningius Bœhmerus ad h. tit. §. 61. *Eo notabilior, ait, est hæc Sanctio* (scilicet cit. Nov. 5.) *quo uberior variis Observationibus deprehenditur.* Generatim tota Novella illustre specimen præbet, quanta sollicitudine Imperatores id egerint, ut res *MONASTICAS ET ECCLIASTICAS* recte ordinarent, idque *JURE PROPRIO, Virtute SUMMI IMPERII, ex LEGISLATORIA POTESTATE, quæ etiam circa hæc instituta, maximum in abusum cum summo Reipublicæ detrimento tracta versabatur.* Non hæc *JURIS EPISCOPALIS* erant, & si quid Episcopi de eis constituerent, ea tamen supremæ Principum potestati subiecta erant, ut non satis Protestantium Juris Consultorum stylus redargui, & reprobari possit, quo hodie hæc & similia jura sub periculissimo æque, ac falsissimo titulo *JURUM EPISCOPALIUM* Principibus adscribunt. Tam gravem dominatum *STYLUS CURIÆ* ubique exercet, pro cujus abolitione omnium principum Protestantium mentes, & cogitationes de-

deberent esse sollicita. Quamdiu dixeris nostros Principes *JURA EPISCOPALI* exercere, tamdiu simul *TACITE* prodis, eos quodammodo in *MALA FIDE* esse, quod horrendum dictu est. Ita est, Bœhmere, in mala fide versantur illi omnes, qui tuis principiis infascinati, *JUS CIRCA SACRA* Principi politico assertum eunt. Si rem hanc ex arcanis Divinæ Providentiæ consiliis evolvere præstat (præstat autem ex his fontibus Catholica dogmata haurire, & oggantes hæreticos redarguere) palam est, Bœhmerum, & quotquot eum sequuntur, pessima fide *jus circa sacra* Principibus politicis tribuere. Nam vel legitima, & evidens est ista illatio: *Principes politici varias leges circa personas Ecclesiasticas, resque sacras condiderunt: ergo jus circa sacra illis quæ Principibus jure regio, & proprio competit, vel illegitima, & falsa est?* Si legitimam hanc illationem esse contendant *Protestantes*, replico ego: qui fieri potuit, ut inter ipsos viri sapientissimi, & in omni litteratura exercitissimi, zeloque castigandæ, poliendæ, ac propagandæ Religionis nuper per *Lutherum* adinventæ flagrantissimi tam libere, ut Bœhmerus facit, inferre ausi non sint, sed suspensio prorsus gradu (qui timidorum, suisque viribus, & juribus parum confidentium mos est) inceserint, ac post longam demum deliberationem *jus circa sacra non jure Majestatis regio, sed jure Episcopali* per pacificationes publicas, aut primum asserto, aut demum stabilito, Principi politico competere dixerint. Anne Viri isti perspicacissimi media in luce tacuissent? Vidissent utique etiam

illi inter jura Majestatis politicæ *jus circa sacra*, cum illos fugere neutiquam potuerit, Principes Laicos complures leges *circa sacra* tulisse: unde cum ab actu ad potentiam optime inferatur, sine cunctatione inferre debuissent: ergo Principibus politicis cum jure Majestatico *jus circa sacra* competit. Cur ergo sic non intulerunt? quæ causa hæsitacionis? ut quid ex *jure Episcopali* hunc Titulum quaesiverunt, & alienis opibus Principes suos ingrandescere voluerunt? Quid causæ est, quod *stylus curiæ* in curiis *protestantium* teste Bœhmere hodie dum maneat invariatus, nec alio subschemate *jus circa sacra* Principibus suis allinat, quam sub *jure Episcopali*? En arcanum Divinæ Providentiæ consilium per ipsos *Protestantes* patefactum est, quod tum maxime se revelat, cum humana consilia dictaturam ambiunt. *Tacite produnt* (ipse Bœhmerus Divini consilii præter mentem suam interpretem agit) *se quodammodo in mala fide versari, quod horrendum dictu est!* ergo exhorrescant *Protestantes*, & resipiscant; tu vero Bœhmere similia fucata argumenta posthac congerere erubescas. Et ut ad erubescentiam (quæ auspiciatum ad pœnitentiam redeuntibus diluculum est) te magis disponam, ad Justinianum redeo, tibi que genuinam causam aperio, cur Sacratissimus hic Imperator leges complures *circa sacra* condiderit, non cædendi hoc suo jure fecit, & legislatoria potestate, sed ex suggestione, suasu, & voluntate Episcoporum. Audi nostrum *Christianum Lupum* (O utinam hic lupus ovem errantem rapiat!) qui *tom. 4. in Schol. ad Decret. l. Leonis*

nis IX. pag. 273. scribit: *Novellas enim de sacris rebus leges fuisse illi (Justiniano) ab assidentibus doctissimis Episcopis dictatas testatur Procopius Casareensis.* Non ergo pro imperio, & jure proprio Justinianus circa sacra leges tulit, sed sibi ab Episcopis dictatas jure protectionis, & quâ Custos SS. Canonum solenniter edidit, & promulgavit. Videatur Natalis Alexander *Hist. Eccles. tom. 5. secul. 6. cap. 7. art. 2. pag. 475. & seq. V. licet vero &c.* Quapropter Vigilus Papa eidem non modo Imperialem, sed Sacerdotalem animum adesse gratulatur scribens Epist. 4. *Unde nos in Domino nimium convenit gloriari, quod non imperialem solum, sed etiam Sacerdotalem vobis animum concedere sua miseratione dignatus est.* Verum, postquam Justinianus Imperator cum hæreticis sub velamento pacis & concordie familiarius agere cœpisset, audacior factus, Divinis rebus

plus nimio se immiscuit, munusque Pontificium in ferendis Legibus Ecclesiasticis, iisque exigendis, & in relegandis Episcopis sibi arroganter assumpsit, ut habet Severinus Binius in *not. ad vitam Joannis Papæ III. tom. 6. Concil. Edit. Venet. pag. 500. & in Not. ad Concilium Aurelianense IV. Anno Christi 545.* celebratum, ubi ait, Patres dicti Concilii propterea de Paschate, & Jejunio Quadragesimali Canonem I. & II. edidisse, ut reprimerent temeritatem Justiniani, qui suo edicto Jejunium Quadragesimæ una hebdomada auxerat, & de Paschali tempore iniquam functionem promulgaverat. *V. tom. 5. Concil. edit. Venet. pag. 1373.* Exemplum ergo Justiniani norma non debet esse posteris, ut, quam potestatem ipse circa sacra inique usurpaverat, hanc alii principes sæculares jure sibi vendicent.

§. II.

De Tyrocinio Religioso.

SUMMARI A.

14. Tyrocinium Religiosum describitur. 15. Olim Novitius triennio probandus erat, hodie hæc probatio per annum absolvitur. 16. Excepta Societate Jesu, & aliis quibusdam Ordinibus. 17. Debet hic annus esse mathematicè completus. 18. Quod amplius ostenditur. 19. Quid si probatio in Annum Bissextilem incidat? 19. Subjungitur exceptio. 20. Annus probationis etiam debet esse continuus, quomodo hoc intelligatur? 21. Professione post annum probationis nulliter emissa, novitiatur propterea repetendus non est. 22. An, qui expleto probationis anno ad seculum redit, reversus deinde ad Monasterium novitiatum de novo inchoare debeat, sub distinctione resolvitur. 23. Antequam Candidatus ad Tyrocinium admittatur, examinandus est. 24. Puncta examinis recensentur. 25. Præprimis ingenii vires, & litterarum profectus explorari debent. 26. Decretum Clementis VIII. hanc in rem explicatur. 27. Penes quem sit potestas Can-
di-

didatos ad Novitiatum admittendi? 28. De institutione, & Magistro Novitiorum remissive. 29. Ante ultimum bimestre renuntiatio, vel alia dispositio inter vivos à Novitio facta non tenet. 30. 31. 32. 33. Quod per varias Questiones latius exponitur. 34. Decretum Concil. Trid. circa hoc punctum explicatur.

14 Tyrocinium Religiosum, quod vulgari nomine *Novitiatum* indigitatur, est schola, in qua Novitii animus ad regularem observantiam, in omne posthac vitæ tempus continuandam, per varias exercitationes præparatur, ejusque spiritus, num ex DEO sit, probatur, nec non mores, genius, indoles, & quid valeant humeri, quid ferre reculent, sollicita indagine explorantur. Nam, ut docet S.D. 2.2. Q. 189. artic. 10. ad 1. *Dubium potest esse, utrum ille, qui Religioni se offert, Spiritu DEI ducatur, an simulate accedat: & ideo debent (Superiores) accedentem probare, utrum Divino Spiritu moveatur. Non enim facilis est vitæ mutatio, sed cum animæ sit labore,* inquit Justinianus in *Nov. 5. cap. 2. princ.*

15 Probatio hæc, qua tam Religio mores Novitii, quam ipse rigorem Regulæ periclitari possit, hodie *annalis est cap. 16. h. t.* olim triennio integro Novitius probandus erat, ut constat ex Regula S. Pachomii, ad quam respexisse videtur Justinianus in *Nov. 5. in Epilog.* idem triennale tempus pro Novitiorum probatione definiens. S. vero Gregorius M. hanc legem primitus admisit quoad milites ad Conversionem venientes, ut constat ex *cap. un. dist. 53.* Deinde vero universim tam laxum probationis terminum ad *biennium* restrinxit, ut patet, ex *lib. 1. Epist. 23. ad Fortunatum Episcopum*

Neapolitanum scripta, quæ refertur in *cap. 6. C. 19. Q. 3. Christian. Lupus tom. 4. Schol. ad Decretum I. Leonis IX. pag. 290. & seq. & tom. 3. pag. 96.* ubi in fine hæc verba subjungit. *Ex quo vides, Justiniani de rebus Ecclesiasticis leges Novellas à Romana Ecclesia non fuisse Curatas.* Quod epiphonema Bœhmerus in sua *Adversaria* referre non gravetur. Idem *Lupus* ibidem scribit, discipulos S. Antonii nulla præcedente probatione habitu Monachico indutos, & ad professionem admissos fuisse, quin, quod plurimi, inter quos etiam S. Augustinus numerandus est, una cum Baptismo susceperint habitum Monachalem, ac eodem tempore Monachum, simul & hominem Christianum professi sint, idem testis est.

Annus igitur, ut dictum est, hodie **16** in quacunque Religione, pro Novitiorum probatione præfixus est. *c. 16. h. t. Concil. Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 11.* excepta Societate JESU, in qua Tyrocinium ante biennium non absolvitur. P. Wiestner *h. t. n. 20.* item Abbatibus commendatariis, qui post sex menses aut professionem emittere, aut commenda cedere jubentur. Concil. Trident. *cit. Sess. cap. 21.* excipiuntur etiam quidam Ordines Militares, de quibus consulatur Sanchez *lib. 5. Moral. cap. 4. num. 5.* Card. de Luca *discurs. 46. de Regul. num. 6.* Hic Annus debet esse integer, & completus, à su-

sceptione habitus computandus, adeo, ut professio antea facta sit invalida, Concil. Trid. *cit. Sess. cap. 11.* qua conciliari Constitutione derogatum est *cap. 2. § 3. h. t. in 6. cap. 16.* Eodem ubi habetur, quod professio ante expletum probationis annum valeat, si tam Novitius, quam illi, penes quos est potestas Novitios ad professionem recipiendi, mutuo consenserint. P. Reiffenstuel *h. t. num. 92.* Van-Espen *J. E. V. part. 1. tit. 25. cap. 2. num. 18.* Fagnan. *ad cap. 1. de his, que vi metusv. num. 29. § 30.* Notabile illud ex Barbosa *J. E. V. lib. 1. cap. 42. num. 133.* refert Van-Espen *cit. cap. n. 24.* quod, si in aliquibus Religionibus laxius spatium, quam annus pro Novitii probatione sit præscriptum, & anno elapso Novitius profiteatur, professio teneat, tametsi illud tempus longius à Religionis præscriptum nondum sit evolutum, eo, quod statuta illud prolixius temporis spatium sub pœna nullitatis requirere non soleant; Videatur etiam Vincent. Petra *tom. 2. Cœment. ad Constit. Apost. pag. 525. num. 22. § seqq.*

17 Num Annus probationis debeat esse mathematicè completus, controversatur. Affirmativa, utpote profitenti & Religionis favorabilior, etiam inter DD. est communior. Probatur Concil. Trid. *Sess. 25. de Regular. c. 15.* Professionem illam dicit esse nullam, quam is deposuit, *qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione stetit;* atqui, qui anno Novitatus mathematice non expleto professus est, minore tempore, quam per annum in probatione stetit: ergo &c. Respondent ad hoc argumentum AA. quod Concilium annum

non velat *naturaliter, sed civiliter & moraliter* spectari, adeoque diem ultimum anni cœptum haberi pro completo *arg. l. 3. ff. qui testament. facer. l. 1. ff. de Manumiss.* sed contra est: Concilium vult illud tempus spectari, quod profitenti & etiam Religionis favorabilior est. *arg. cap. 16. h. t.* sed favorabilior est utrique parti, si dicamus Annum Novitatus debere esse mathematice completum ob libertatem tum voventis, tum Religionis se vicissim obstringentis. Et ideo dies cœptus eo casu habetur pro completo, quando id cedit in commodum illius, cui certum tempus ad aliquid agendum præfinitum est, prout exempla in *cc. ff.* declarant: quando vero illius, cui tempus taxatum est, magis interest, & momenti ultimi habere rationem, hæc fictio juris, ut dies ultimus cœptus habeatur pro completo, locum non invenit. *arg. l. 6. ff. de O. § A. & l. 3. §. 3. ff. de Minor.*

Confirmatur Conclusio efficaciter 18 ex *cap. 2. de Regul. in 6.* ubi Alexander IV. in Professione Regularium mendicantium ad hoc, ut professio subsistat, requirit, annum probationis *elapsum*, quod sane verificari nequit, si annus mathematice nondum sit completus: ergo etiam hodie post Concilium Tridentinum annus ex integro & naturaliter completus requiritur, maxime cum ratio, quam in *cit. cap.* pro decisionis fundamento allegat Pontifex, hodiedum quoque subsistat, nimirum, quod annus probationis elapsus *maximè in subsidium fragilitatis humane regulariter institutus sit.* Denique accedit bina declaratio Cardinalium, professionem ante annum pro-

probationis completum factam annullans, quam refert hujus S. Congregationis Secretarius Fagnanus in *cap. 8. h. t. num. ult.* qui in numeris antecedentibus pluribus argumentis nullitatem ejusmodi acceleratæ professionis ostendit. P. Reiffenstuel allegatis aliis ad *h. t. num. 94. & seqq.* P. Wiestner *ibidem num. 25.*

18 Hæc Conclusio specialiter declaratur circa Annum *Bissextilem*, ut, si quis *24. die Februarii* Anni communis Novitiatum auspicatus sit, Anno insequenti, quem supponimus *Bissextilem*, Professionem eadem *die 24. Februarii* valide emittere nequeat, sed in diem sequentem *25.* differri debeat, quia annus probationis alius esse nequit, quam qui communiter à republica taxatus est, Annus vero *Bissextilis* completur *25. Februarii*, cum in tali Anno, saltem in favorabilibus, duo dies pro uno habeantur, *cap. 14. §. 1. de V. S. l. 89. ff. eod.* Fagnan. ad *cap. 7. h. tit. num. 25. & seq.* Vincent. Petra *tom. 2. pag. 525. num. 21.* P. Wiestner *h. t. num. 25. in fin.*

19 Conclusio hæctenus asserta sequentem patitur exceptionem, quam reperi apud Miranda in *Manual. Prælat. t. o. 1. quest. 22. artic. 10. in fin.* Barbof. ad *cap. 16. h. tit. num. 4.* Gonzalez *ibid. num. 1.* scilicet quoad Moniales S. Dominici & quæ illarum privilegia participant; Hæ enim per speciale indultum D. Pii in articulo mortis constitutæ etiam intra annum Novitiatum professionem emittere possunt, eo tamen duntaxat effectu, ut indulgentiarum, aliarumque gratiarum, professis concessarum, participes fieri queant: & ideo, si ex morbo rursus convale-

scant, integrum Novitiatum annum complere, & professionem de novo emittere tenentur: nec etiam vi talis professionis in articulo mortis emissæ Monasterium in bonis Novitiæ succedere, cum præjudicio venientium ab intestato posset, nisi postea convalescens expleto probationis anno expressam professionem emittat. Laudati DD. cui adde Zypæum in *Analyf. h. t. num. 18.*

An annus probationis debeat etiam esse *continuus*, ita, ut, si Novitius intra hoc tempus mutato consilio ad sæculum redeat, paulo post vero pœnitentia ductus ad Monasterium revertatur, Novitiatum denuo inchoare necesse habeat, nec ne? in utramque partem disputatur. Continuitatem desiderant Zypæus *Consult. 18. de Regular.* Fagnan. ad *cap. 8. h. t. num. 27.* Van-Espen *cit. l. num. 21.* & alii, idque colligunt ex verbis Tridentini *cit. cap. 15. ibi, qui minore tempore, quam per annum in probatione steterit.* Rationem addunt, quod regulariter, ubi tempus in jure præscribitur, illud debeat esse continuum, nisi ex subjecta materia contrarium colligi possit. Et ideo, si Novitius sponte sua Monasterium egrediatur, interrupt probationis annum, eumque de novo auspicari tenetur, Fagnanus ad *cap. 7. qui Cleric. vel nov. num. 26.* secus, si ex causa rationabili, putà infirmitatis &c. cum licentia Prælati extra Monasterium moretur. Panormit. ad *cap. 16. h. tit. n. 9.* Miranda *quest. 33. art. 4.* Azor *part. 1. lib. 12. cap. 2. Quest. 8.* Fagnan. ad *cit. cap. n. 38.* ubi testatur S. Congregationem ita resolvisse, quam resolutionem *ibidem* multis argumentis

confirmat. Ratio est, quod ad valorem probationis satis esse videatur, quod talis Novitius, qui cum Licentia Superioris Monasterium egreditur, in Monasterio fictione juris perseverare censeatur, cum vivat sub Obedientia Prælati etiam extra claustrum constitutus. Similiter ille, qui toto Novitiatu anno æger decumbit, absque alia probatione ad professionem admitti potest, quia, quantum in se fuerat, vere integro anno in statu probationis mansit, nisi forte morbus ille per tempus notabile usum rationis abstulisset, quo casu tempus furoris supplendum foret Sanchez *lib. 5. Moral. cap. 4. num. 55.* Pirhing *h. t. num. 47.*

21 Quasi professio post annum probationis emissa irrita fuerit, forte ob defectum legitimæ ætatis, Novitiatu propterea repetendus non est, quoniam & Novitius austeritatem Ordinis expertus jam est, uti & Monasterium mores illius. Sanchez *de Matrimon. lib. 7. disp. 37. num. 45.* imo, si professio etiam propter non impletum tempus annum probationis nulla foret, necesse haud foret, Novitiatum de novo inchoare, sed tempus residuum, supplere & postea ratificare professionem sufficeret, quia jus antiquum in *cap. 11. § 12. h. tit.* quoad hoc punctum per Tridentinum correctum non reperitur.

22 Sed quid eo casu dicendum, quo Novitius expleto jam probationis anno ad sæculum redit, forte curandæ valetudinis causa, an, si postliminio, ad Monasterium revertatur, ei annus Novitiatu repetendus, novaque probatio subeunda erit? Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 15. num. 8.* & Ascan.

Tambur. *de Jur. Abb. tom. 3. disput. 3. quasit. 7. num. 12.* affirmant ex ratione, quod Concilium Trident. *Sess. 25. de Regul. cap. 16.* statuatur, ut Superiores Regulares absoluto Novitiatu Anno Novitium, si habilis inveniatur, ad Professionem admittant, secus vero è Monasterio ipsum ejiciant, adeoque videatur requirere continuationem Novitiatu cum Professione. Ego ab horum AA. opinione eo casu non discedo, quo Novitius longiores moras in sæculo fecisset, & interim vel disciplina in Monasterio aucto rigore mutationem subiisset, aut ipse Novitius cum sæculari vita sæculares quoque mores induisset; secus si nec ex parte Novitii in sæculo commorantis quoad mores Religiosos, nec ex parte Monasterii quoad austeritates quidquam immutatum fuisset, regredientem ad claustrum à nova probatione subeunda liberum pronuntio, quia cessat ratio, ob quam Novitiatu reiterari deberet, cum talis Novitius & rigorem Ordinis, ipsa vero religio ejus mores jam satis exploraverit, nec, ut supponitur, interim vel ex parte Novitii, vel ex parte Religionis quædam mutatio acciderit. Ita P. Wiestner *h. t. num. 30. § 31.* Clericatus in *discord. forens. de Regular. discord. 18. num. 12.* & Bordonus *var. resolut. part. 2. resolut. 99. num. 48.* ubi quinque Declarationes Cardinalium pro hac Sententia producit, quas etiam Clericatus *d. l.* recenset. Ac insimul addit, ut talis Novitius de sæculo ad claustrum rediens, per veridicas attestaciones de immutata morum sanctimonia fidem faciat. Nec obstat allegatum *cap. 16. Concil. Trid.* quia ibidem duntaxat ordinat, quid

quid ordinarie circa profitentem fieri debeat, non vero prohibet, ne ex iustis causis aliquod temporis intervalum inter Novitiatum expletum, & ipsam professionem intercedat. Navarrus *de Regular. Consil. 29.* & alii apud Clericat. *d. discord. num. 9.* relati. Haec de tempore Novitiatu. Jam de ipso Novitio, qui vel considerari potest, ut est adhuc Candidatus Religionis, vel ut jam actu in probatione constitutus.

23 Antequam Candidatus ad Religionem admittatur, diligens & exacta inquisitio in ejus indolem, mores, natales &c. instituenda est. „Nihil est, „ait Van-Espen *part. 1. tit. 26. cap. 1. num. 1.* quod ipsam disciplinam moralicam ipsamque Religionem ita „natum sit enervare, imo pessumdare, ac totaliter corrumpere, quam „indiscreta ac præcepta ad Religionem, nem non satis probatorum admissio. Quod deinde ex Regula S. Benedicti *cit. tit. cap. 1.* fufius demonstrat.

24 Puncta, super quibus examen institui debet, sunt sequentia I. An Candidatus sit ex servili conditione, *nam neminem servorum suscipi in Monasterium, nisi cum domini proprii licentia statuerunt PP. Concilii Chalcedonensis relati in cap. 12. C. 16. Q. 1.* II. An annos pubertatis jam attigerit; licet enim impuberes Religionem ingredi & habitum Regularem assumere possint, Novitii tamen, sive in anno probationis hodie dici non possunt, nisi post annos pubertatis expletos, tum quia prius liberum & sufficiens propriae discretionis arbitrium habere non censentur, tum quia Religionis austeritatem præsertim circa votum castita-

tis recte experiri non possunt. Ut colligitur ex *cap. 8. § 12. h. t.* Sanchez *de Matrim. lib. 7. disput. 37. num. 22.* Azor *part. 1. lib. 10. cap. 2. quest. 4.* & siquidem tales filii impuberes sine consensu suorum parentum Religioso habitu induti, & à Prælati recepti fuerint, intra annum à tempore scientiæ libere iterum à parentibus revocari poterunt *cap. 2. h. t.* imo si pubertati proximi fuerint, parentes nequidem unum annum semper habebunt, sed illud tantum tempus residuum, quod usque ad pubertatem deficit, quia adepti pubertate filii etiam sine consensu parentum, qui tantum de honestate, non vero necessitate requiritur *cap. 12. h. t. cap. 2. C. 20. Q. 2.* Religionem amplecti possunt. Sanchez *lib. 4. de Matrim. disput. 18. n. 12.* Van-Espen *d. part. tit. 25. cap. 3. num. 11.* Si vero ultro à parentibus oblato sint (id quod olim erebrius factum fuisse testatur Regula S. Benedicti) tunc, sicut desponsatione parentum nonnisi puberes facti efficaciter obligantur, si eam nimirum tacite vel expresse ratificent *cap. 8. de Desponsat. impub. cap. un. eod. in 6.* ita etiam ad statum Religionis post annum ætatis 16. consensus illorum tacitus vel expressus requiritur juxta Trident. *d. Sess. 25. cap. 15.* olim vero liberorum impuberum oblatio à parentibus facta illorum ratihabitionem in pubertate non desiderabat, prout indicant textus in *cap. 12. h. t. cap. 3. C. 20. Q. 1.* & erudite demonstrat Christian. Lupus *tom. 2. ad Concil. Trullan. Can. 40. pag. 93. § seq. Natal. Alexander Hist. Eccles. to. 5. sæcul. 6. cap. 6. art. 5. n. 3.* III. An infamia labore, cujus plurimæ species re-

feruntur in *cap. 17. C. 16. Q. 1. l. 2. §. 5. ff. de his, qui not. infam. l. 10. §. fin. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* quia ejusmodi maculati homines sicut non admittuntur ad SS. Ordines *cap. 2. §. 17. C. 16. Q. 1.* ita ad Religionem admitti non debent *arg. cap. 1. C. 19. Q. 1.* Accedunt Constitutiones Sixti V. *cum de omnibus Sc.* & Clementis VIII. *Regularis disciplina Sc.* Vid. Panorm. ad *cap. 12. de vita Sc. honest. Cleric. n. 2. IV.* An ratiociniis reddendis sive publicis sive privatis sit obligatus, qui his vinculis solutus non est, etiam ad Religionis ingressum aptus esse non censetur, quia ut Sixtus V. *in cit. Constit.* ait: *Facile cedere posset in Religionis opprobrium, in DEI offensam, Sc. scandalum plurimorum.* V. An æ alienum conflaverit, hoc enim prius expungere debet (supposito, quod in presentiarum solvendo sit, aut in posterum futurus speretur) quam Religionem ingrediatur, quia opus *Consilii*, quod est ingressus Religionis, præponi non debet operi, ad quod quis ex præcepto, & iustitia tenetur. *cc. Constit. Clementis VIII. Sc. Sixti V.* VI. An notabili quodam defectu corporis laboret, qui ipsum ad munia Religionis obeunda impotentem reddat. Hujusmodi quippe vitio affecti sicut à SS. Ordinibus arcentur, *tt. de Corpor. vitiat. Sc.* ita à susceptione habitus regularis removendi sunt. V. S. Thom. 2. 2. *Q. 189. art. 10.* Eximium P. Joann. Bapt. Rottner *cit. tract. Q. 6. art. 2. §. 1. n. 459.* VII. An parentes Candidati gravi necessitate premantur, ex qua spes sit, opera, & adjutorio filii eluctandi, tales ad Religionem admittere vetat *cit. Constit. Clement. VIII. num. 72.* P. Reiffen-

stuel *b. tit. num. 77.* VIII. Etiam de sexu quærendi sunt, summa quippe foret indecentia, ut virorum consortio femina misceretur, & vicissim. Nec est in potestate Religionis alterius sexus hominem in suum contubernium recipere *cap. 21. C. 18. Q. 2.*

Denique in Candidato vel maxime ingenii vires, capacitas, ipseque litterarum profectus hæcenus in scholis haustus explorari debet. Quodsi enim hebeti ingenio appareat, aut literis leviter tinctus, sive id novercantis naturæ fato accidat, sive ex sedulæ applicationis defectu, S. Religionis alumnis adlegi haudquaquam meretur. Quomodo enim ad Ordinis, & Monasterii functiones, ac ministeria rite obeunda aptus erit, quomodo in salute proximi procuranda (qui finis jam prope omnium Religionum est) operam suam bene locaturus sperari poterit, qui necessariis litterarum adjumentis, aut saltem capacitate ad illas addiscendas à natura destitutus est? *Nec indifferenter omnes admittantur ad Ordinem* (sunt gravissima verba Nicolai III. in *cap. exiit, qui semina Sc. de V. S. in 6.*) *sed illi tantum, qui suffragantibus eis litteratura, idoneitate, vel aliis circumstantiis possint utiles esse Ordini, sibi que per vitæ meritum, ac aliis proficere per exemplum.* Væ illis superioribus, qui hac in parte minus cautè procedunt, & bardos, ignaros litterarum, ac idiotas ad Religionem admittunt, quo quid aliud faciunt, quam quod impediunt, ne religio efflorescat, aut in flore conservetur, aut crescat, & e contra in id in consulta ejusmodi admittance coope-
rentur, ut religio deflorescat, despe-
ctui,

stui, aut contemptui habeatur. Monasteria non sunt diversoria stabulandis pecoribus destinata: quem vero alium usum illa præbent, si homines illiterati illud repleant? *Quid homo sine litteris reputatur* (quærit Bernardus religiosæ disciplinæ zelotes, ut nemo magis) *quid est? numquid non pecus, vel hædus? numquid non bos, vel asinus? numquid non equus, vel mulus, quibus non est intellectus?* Ex hac præpostera susceptione oritur alterum malum, videlicet, quod litterati, si qui sunt in religiosa communitate, ab illiteratis odio habeantur, filii lucis à filiis tenebrarum, fugillantur illorum studia, & alto supercilio despiciuntur, quos suspicere, & revereri oporteret. Rem non novam narro: S. Lupus Abbas Ferrariensis, dum adhuc Monachus litteras doceret, de illiteratorum hominum grege ad amicum suum Eginhardum scribens *Epist. 1.* his verbis conquestus est: *Per famosissimum Imperatorem Carolum, cui litteræ eoque deferre debent, ut æternam ei parent memoriam, cœpta revocari ipsarum studia aliquantum quidem extulere caput, satisque constitit veritate subnixum præclarum Ciceronis dictum, honos aut artes, & accenduntur omnes ad studia gloria. Nunc oneri sunt, qui aliquid discere affectant, & veluti in edito sitos loco studiosos quosque imperiti vulgò adspicientes, si quid in eis culpæ deprehenderint, id non humano vitio, sed qualitati disciplinarum assignant: ita dum alii dignam sapientiæ palmam non capiunt, alii famam verentur indignam, à tam præclaro opere destiterunt.* Vixit autem hic Præsul doctissimus temporibus Ludovici, sub quo litteræ,

quas Carolus M. pater ejus pone extinctas è tenebris ad lucem revocaverat, rursus elanquere, ut scribunt Severinus Binius *in Not. ad Concil. Cabillon. II. Canon. 3.* & Christian. Lupus *to. 6. in Schol. ad Concil. Roman. V. Can. 18. pag. 119.* sed inquit ignorantia patroni: Litteræ non conveniunt cum simplicitate Monastica, dum hæc humilia & abjecta quærere docet, illa è contra alta peunt, litteratus super candelabrum poni appetit, simplex & humilis sub modio delitescere amat, ille lucem, hic tenebras quærit. Quæ ergo conventio luci ad tenebras? præstat ergo ejusmodi pestes è claustris proscribere, quæ simplicitati Religiosæ oppido fatales existunt. Sic cæci de coloribus. Aliter Mabillonius litteratissimus ille, juxta & Religiosissimus Monachus *tom. 3. Annal. Benedict. Secul. 10.* sensit, ubi ita inquit: *ex litterarum instauratione mores fieri, si non statim meliores, saltem politiores: quæ res magnum comparanda virtuti adjumentum adfert: contra vero ex litterarum neglectu indocilem plerumque ferociam, & indomitam curiositatem oriri, quæ vix ullis monitis, & adhortationibus ad virtutem flecti possit. Sane plures ignorantia corrumpi, quam litterarum cultu, quæ homines saltem humaniores, & ad vitam socialem aptiores reddunt, nemo eat inficias. Elegantem enim doctrinam liberalis quoque natura, & indoles comitari solet.* Legatur, iterumque legatur celebris ille tractatus, quem de studiis Monasticis famosissimus hic Author in Reipublicæ tum litterariæ, tum Monasticæ bonum vulgavit, ubi in parte I. per 16. Capita luculentissimis Argumentis

Hh

de-

demonstrat, Monachis non modo studia convenire, sed usque adeo necessaria esse, ut sine eorum praesidio ipsa Religiosa perfectio nec obtineri, nec status Monasticus in suo flore & vigore conservari valeat. In II. dein parte varia studiorum genera exponit, ac Ordinem, modumque in quolibet eorum proficiendi docet, nec non Criticæ (quod studium hodie nonnulli sciolli incaute arripiunt) castigatissimas Regulas tradit. In III. demum parte finem studiorum, quem litterarum cultores quicumque, maxime tamen Monachi, sibi praefigere debeant, designat, ac subinde Syllabum omnium difficultatum, quæ in Lectione Conciliorum, Patrum, & Historiæ Ecclesiasticæ occurrunt, secundum Ordinem, & seriem sæculorum describit, annotatis Authoribus, qui has Quaestiones de industria pertractant, & criticis observationibus elucidant. Tractatum hunc infinita eruditione referunt, omnique commendatione superparem, distractis jam pone exemplaribus omnibus, secundis curis castigatorem, auctiorem, notisque novis illustriorem propediem in lucem proferet mathematicum hic Professor, Eximius P. Anselmus Desing ab eruditis varii argumenti opusculis jam alias notissimus.

26 Ut porro ad priora redeamus, moventur superiores in Decreto Clementis VIII. super receptione Novitii Anno 1602. die 19. Maji ut diligenter ex candidatis exquirant, quo spiritu, qua mente, & voluntate id regularis vite genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vite, & ut DEO liberius

famulari possint, an potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi ducantur? Nam, ut bene agnovit Justinianus in Nov. 5. cap. 2. Non facilis est vite mutatio, sed cum anime labore fit, unde idem ibidem statuit, ut Reverendissimi Abbates ex Candidatis expiscentur, unde eis desiderium vite singularis accesserit: & discentes ab eis, quia nulla maligna occasio ad hoc eos adduxit, habere eos inter eos, qui adhuc docentur, atque monentur, & experimento percipere eorum tolerantiam, & honestatem. Super recentis subinde punctis examen prævium à superioribus instituendum esse præcipit Clemens VIII. in d. Bulla cum ad Regularem &c. & Sixtus V. insuper in Bulla cum de omnibus &c. præcipitatas & temerarias ejusmodi admissiones in superioribus gravibus poenis vindicari jussit. Vid. Hæftenum lib. 4. tract. 2. disquisit. 2. & 3. ubi causas recenset, ex quibus nonnunquam inutiles, & minus idoneos assumi contingat. P. Reiffenstuel b. t. num. 83.

Quæres, penes quem sit potestas 17 Candidatos ad Novitiatum recipiendi? communiter solent AA. hanc Quaestionem ex statutis, vel consuetudinibus, vel privilegiis cujuslibet Ordinis, aut Monasterii decidere. Jure quippe communi de hoc puncto nihil certi cautum est, unde ipse Bonifacius VIII. desuper consultus in cap. ult. b. t. in 6. consuetudinem attendendam esse monet. In Ordine S. Benedicti insistendo litteræ Regulæ res expedita est, nam in cap. 3. præcipit S. Legislator, ut Abbas causas graviores, quibus procul dubio susceptio Novitii annuenda est, tractet cum Consilio Capituli,

tuli, unde spreto consilio fratrum si Candidatum suscipiat, susceptio non tenet *arg. cap. 4. § 5. de his, quæ sunt à Prælat.* quia vero vota Capitularium in hoc casu non sunt *decisiva*, sed duntaxat *consultiva*, idcirco Prælati Consilium Capituli citra nullitatis periculum præterire quidem nequit, illud tamen sequi non tenetur. Tamburin. *de J. Abb. tom. 3. disput. 6. Q. 1. num. 6.* Dixi: *insistendo literæ Regule*, nam si aliter habeat locorum consuetudo, illi standum erit. Interim prudenter nunquam aget Prælati, qui in susceptio-
ne Novitiorum nequidem seniorum consilium exquireret: nam, ut ait Hæstentus *lib. 3. tract. 5. disput. 6. Novitium ita indutum aliis redderet odiosum*, & *periculo rejectionis tempore imminentis professionis exponeret, seque aliorum judicii, tanquam, qui sibi nimium præsidat, objiceret, & deceptioni ab ipso exordio occasionem præberet.* Vid. hanc Quæstionem latius examinantem P. Rottner *cit. tract. Q. 6. art. 1. à num. 373. & Tambur. cit. disput. per tot.*

28 De Novitii institutione, & probatione, uti & de Magistro Novitiorum nihil attinet dicere. Hujus qualitates, uti & modus Novellos Tyrones probandi graphice depinguntur in Bulla Clementis VIII. quæ incipit: *cum ad Regularem &c.* quamque exhibet P. Reiffenstuel *h. t. n. 88. & seq.*

29 Ut porro libertati egressus, quam ante professionem valide emissam Novitii non amittunt, PP. Concilii Tridentini de meliori prospicerent, ipsam libertatem disponendi de rebus suis liberaliter restrinxerunt, ut omnem renuntiationem, aliâve dispositionem à

Novitio ante ultimum annuæ probationis bimestre factam, quæ egressum quomodolibet retardare, aut difficilem reddere posset, cassam, & irritam esse jusserint. Tenor hujus Constitutionis *Sess. 25. de Regular. cap. 16.* ita habet: *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio ante facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque cause piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem: ac non alias intelligatur effectum sortiri, nisi secuta professione. Aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressâ renuntiatione, etiam jurata, irrita sit, & nullius effectus.* Quanquam vero Conciliaris hæc Constitutio verbis fat claris videatur esse concepta, multis nihilominus dubitationibus ansam præbuit, ut videre est apud Barbof. *in Collectan. ad d. cap. Trid. & alios interpretes ad h. t.* Nos genuinum sensum dictæ Constitutionis per distinctas Quæstiones eruere cogitamus.

Quæres I. Quænam renuntiationes vel obligationes Novitiorum hæc Constitutione irritentur? Resp. omnes renuntiationes, & contractus *gratuitos*, quibus eorum bona aut jura notabiliter diminuuntur, aut quibus minus recipitur, quam datur, quo pertinent donationes inter vivos in notabili quantitate, & irrevocabiliter ab ipsis factæ, renuntiationes publicorum officiorum, vel beneficiorum, quæ antecedenter possederant, item remissiones, & liberationes, v.g. qua tutor vel curator à reddendis rationibus deobligatur: contractus vero *onerosos* v.g. emptionis venditionis, locationis, permutationis &c. quibus non minus re-

H h 2

cipi-

cipitur, quam datur, aut certe majus non est periculum jacturæ, quam spes lucri sit: item testamenta, codicillos, mortis causa donationes, aliasque dispositiones revocationi obnoxias hac conciliari dispositione non comprehendendi. Ratio utriusque membri est, quod per priores dispositiones, utpote patrimonium Novitii multum attenuantes conditio ejusdem deterior, ipseque egressus oppido difficilis reddatur, quod non accidit in posterioris generis dispositionibus, ut patet: ergo. Barbof. ad *cit. cap. 16. Trident. num. 3. & seqq.* Gutierrez *QQ. CC. lib. 2. cap. 1. num. 26.* Zypæus in *Analyf. ad h. t. num. 27.* Fagnan. ad *cap. penult. h. t. num. 19.* ubi ostendit, per *Concil. Trid. d. cap. derogatum fuisse cap. 4. h. t. in 6.* quod permisit Episcopo facultatem conferendi beneficium ejus, qui Religionem ingreditur, infra annum probationis alteri, si ad id ipsius Novitii accesserit consensus.

31 Quæres II. An donationes, renuntiationes, cessiones &c. quæ fiunt à Candidato adhuc in sæculo commorante, intuitu tamen Religionis, quam paulo post ingredi apud se constituit, sub hoc Decreto Conciliari comprehendantur, adeoque irritæ, & cassæ sint? Resp. probabiliter non comprehendendi. Ratio est, quod Concilium Tridentinum expresse loquatur de Novitiis, adeoque Ordinem jam ingressis, id quod colligitur tum ex Rubrica de *Regularibus*, sub qua istud *cap. 16.* est collocatum, tum quod hic textus continet sensum in *preced. cap.* per illa verba initialia: *nulla QUOQUE renuntiatio &c.* quæ particula quoque est copulativa, & sequentem dispositio-

nem cum præcedenti conjungit. Jam vero in præcedente Capitulo fit duntaxat mentio de Novitiis jam actu religionem ingressis per illa verba: *post susceptum habitum in probatione steterit &c.* ergo etiam *cap. subsequens* de iis exaudiendum est. Accedit, quod hic versetur in jure correctorio, nam ante Concilium Tridentinum ejusmodi renuntiationes à Novitiis factæ valuerunt per *cit. cap. 4. h. t. in 6.* ergo striete accipiendum, nec quod de Novitiis statutum, ad Candidatos extendendum est. *arg. cap. 28. de R. J. in 6.* Et ita sentiunt Card. de Luca de *Regular. discurs. 58. num. 7. & discurs. 59.* ubi hanc Sententiam Rotæ Decisionibus sapius firmatam, & comuni DD. calculo receptam esse testatur. Pasqualigo in *Observat. ad Controvers. inter Episc. & Regular. Laureti de Franchis part. 1. num. 26. & in QQ. CC. qu. 273. num. 3. cent. 3.* de eadem communi deponens Barbof. in *Collect. ad d. cap. 16. Concil. Trid. num. 18.* cum aliis bene multis, quos ibidem recenset. Qui Decretum Concilii etiam ad renuntiationes in Sæculo factas extendunt, quos inter est Menoch. de *Arbitr. cent. 5. casu 436. num. 5.* Navarr. *Consil. 81. de Regul. Azor part. 2. lib. 2. cap. 20. Q. 6.* Zypæus ad *h. t. n. 29.* & alii, hoc duplici nituntur fundamento I. quod Concilium generaliter loquatur de renuntiationibus ante professionem factis, adeoque etiam de illis, quæ factæ sunt à Candidatis in sæculo adhuc existentibus, sed proxime ingressuris, qui suo modo jam Novitiis parificantur, cum cingendus in favorabilibus habeatur pro cincto. *arg. l. 21. ff. de testam. II.* Quod etiam hoc

hoc casu idem periculum difficilius regressus militet, cum talis Candidatus per precipitatas id genus donationes, resignationes &c. sibi procul dubio regressum quiriorem reddere valeat, ut quid igitur, ubi eadem est ratio, non valeat eadem dispositio? sed ad utrumque facilis est responsio. Ad I. quidem negando, Decretum hoc in tam generalibus terminis fuisse conceptum, sed pro Novitiis actu in probatione constitutis emanasse, & cum hac Constitutio juris antiqui sit correctoria, ad Candidatos extendenda non est. Ad II. itidem negamus eandem utrobique subesse rationem, nam in posteriore hypothese potius difficilis reddi videretur ingressus, quam egressus, ut consideranti patebit. Nec est, quod inconsulta ejusmodi resignatio, vel donatio in saeculo facta Novitium quasi invitum Religionis mancipare videatur. Nam vel beneficio restitutionis in integrum libertatem egressus suo modo ademptam sibi adhuc quaerere posset *arg. l. 26. §. 9. ff. ex quib. caus. major.* vel etiam citra hoc remedium extraordinarium via ordinaria indemnitati suae consulere, donationem revocando, utpote sub conditione professionis emittendae factam, quae tamen secuta non est. Vid. P. Wiestner *h. t. num. 56. & seq.*

32 Quæres III. An renuntiatio donatio &c. subsistat, quando illa intra ultimum probationis bimestre quidem facta, ipsa tamen professio post intervallum aliquot mensium primum subsecuta fuit? Propositus fuit iste casus S. Congregationi Cardinalium (ut refert Fagnanus ad *cap. penult. h. tit. num. 19.*) & quanquam Navarrus de-

super consultus resignationem beneficii taliter factam valere responderit, nihilominus major pars Cardinalium contrarium sensit, re ad sanctissimum delata, is Sententiam Navarri approbavit, ex ratione ab hoc Authore allata, quod Decretum Concilii respexerit ad tempus à jure constitutum, quo ordinarie, ac regulariter professio emitti solet, non vero ad tempus, quod ex accidenti prorogatur, cum etiam hoc casu fini Tridentini, qui fuit, ne talis dispositio temere & inconsulte, sed probatis Religionis difficultatibus post decem menses in probatione exactos fiat, abunde satisfieri videatur. Et ita quoque sentiunt Barbosa in *Colle. ad d. cap. 16. Trid. num. 37.* Pasqualigo *l. cit.* Sanchez ad *Præcept. Decalog. lib. 7. cap. 5. num. 55.* Franc. Leo *cit. cap. num. 39.* Card. de Luca *cit. discurs. 59. num. 5.* Zypæus ad *h. tit. num. 29.* Van-Espen *part. 1. tit. 25. cap. 4. n. 17.*

Quæres IV. An renuntiatio à Novitio facta ultima die mensis decimi tanquam valida sustineri possit? Resp. negativè. Ratio est, quod Concilium pro forma renuntiationis inter alia etiam præscribat, ut fiat *intra duos menses proximos ante professionem*; renuntiatio autem facta ultima die mensis decimi non potest dici facta *intra duos menses proximos ante professionem*: ergo subsistere nequit: & ideo hi duo ultimi menses mathematicè, hoc est, de momento in momentum computari debent, ita ut habeatur ratio dierum mensis, prout in Calendario occurrunt, adeoque si v. g. mensis undecimus ipsam professionem præcedens sit *Februarius, dies 28. aut, si An-*

nus Bissextilis fuerit, 29. computari, & numerari debent. Videatur Lauretus de Franchis *cit. tract. part. 2. Quest. 44. num. 1.* & ejus additionator Pasqualigus *num. 3.* computationem illius bimestris moraliter esse faciendam iudicat Zerola *in prax. Episc. part. 1. V. Monachus in fin.* Zecchus de *Republ. Eccles. tit. de Regul. cap. 3. num. 14.* quorum opinio vel ideo sequelam non persuadet, quod contrarium à S. Congregatione Cardinalium die 22. Jan. 1677. decisum fuisse referatur apud Aldan *in Compend. Canon. Resolut. lib. 4. tit. 3. num. 8.*

34 Quoniam in sæpe citato Decreto renuntiationes, vel aliæ obligationes non aliter dicuntur esse validæ, quam si fiant cum consensu Episcopi, vel ejus Vicarii; hinc pro uberiori explicatione hujus Decreti notandum est I. quod sub nomine Episcopi veniat quoque Prælatus jurisdictionem quasi Episcopalem habens, intra cujus territorium Novitii renuntiantis Monasterium situm est II. Etiam Capitulum Cathedralis Sede vacante. III. Non tamen Prælati Regulares Monasteriorum, etiam exemptorum, quia Concilium expresse meminit licentiæ ab Episcopo impetrandæ. IV. Hanc Licentiam etiam dare potest Vicarius Episcopi, vel

Sede vacante Vicarius Capituli. V. Ut valeat renuntiatio, Licentia debet esse obtenta, nec sufficit duntaxat petita, in scriptis tamen ut detur, nullibi cautum legitur. Barbof. *in Collect. ad cit. c. 16. Trid. num. 23. & seqq.* Tambur. *disput. 6. Q. 10. n. 1.* Lauretus de Franchis cum suo Addition. *part. 2. Q. 43. num. 1. 2. & 3.* & alii apud hos relati. Hodie tamen Licentiam in ejusmodi renuntiationibus ab Episcopo vel ejus Vicario amplius non petitis est experientia multarum Religionum, adeoque quoad hoc requisitum Decreto Concilii per consuetudinem contrariam derogatum fuisse testantur. Rodriquez *in Summa part. 2. cap. 7. num. 1.* & Lezana apud P. Wiestner *h. t. num. 69.* nec ut irrationabilem, supposito, quod legitime præscripta sit, reprobendam censent Sanchez, Vega, & Fr. Emmanuel in summa, relati à Barbof. *ad d. cap. 16. num. 28.* & Pasqual. *in addit. Lauret. de Franch. Q. 43. num. 4.* Cætera, quæ circa hoc conciliare Decretum disputari possunt, elucidata reperies apud laudatum Tamburinum *disput. 6. Q. 10. & seqq.* Fagnan. *ad cap. penult. h. t.* Van-Espen *cit. tit. 25. cap. 3.* P. Wiestner *h. t. artic. 4.* P. Reiffenstuel *h. t. §. 5.*

§. III.

De Professione Religiosa.

S U M M A R I A.

35. 26. Professio Religiosa, quæ post annum Tyrocini exactum emitti solet, describitur. 37. Forma profitendi quoad substantiam in omnibus Religionibus est uniformis, licet quoad accidentia variet. 38. Professio alias est expressa alia tacita, utraque explicatur. 39. Quomodo nulliter facta reconvalidatur?

tur? 40. Tria requisita ad professionem validam explicantur. 41. Ad quem spectet admissio Novitiorum ad professionem? 42. Effectus, quos operatur professio valida, enumerantur. 43. An liceat contra validam professionem reclamare? 44. 45. Duo requisita exponuntur. 46. Cur post quinquennium reclamare volens non amplius audiatur? 47. 48. Duo alia requisita exponuntur. 49. Beneficio restitutionis in integrum nonnunquam reclamanti succurritur.

35 **A**nno probationis expleto Novitius, si habilis inventus fuerit, vel ad professionem admitti, vel ex Monasterio ejici debet juxta Decretum Conc. Trid. cit. Sess. 25. de Regul. cap. 16. ideoque, cum, quæ ad Novitiatum spectant, hæcenus excusserimus, jam de ipsa professione, ejusque effectibus, ratificatione, vel impugnatione agendum erit.

36 Professionem Religiosam stricte acceptam describimus, quod sit contractus sacer, quo se homo per solennem trium votorum nuncupationem voluntarie tradit DEO, & Religioni ab Ecclesia approbatæ, interveniente acceptance, & mutua obligatione ipsius Religionis ad alendum, retinendum, & tanquam filium tractandum ipsum Religiosum professum per superiorem explicata: nam, ut S. Bernardus de Præcept. § dispens. cap. 7. ait: Regularis professio, qua se junior sponte submittit Priori, æque obligat & Priorem; sicutque duo per unius sponsonem alteri debitores, unus fidelis cura, alter humilis obedientia. Sanchez lib. 6. Moral. cap. 9. num. 7. Panormit. ad cap. 13. h. t. num. 10.

37 Formulæ professionis pro varietate Religionum variæ sunt, quæ tamen in ipsa substantia non differunt, sed tantum in accidentalibus, earum aliquas recenset Caramuel in Theol. Re-

gul. tom. 1. lib. 7. disput. 62. scribens in Procem. formulam professionis Benedictinæ esse satis intricatam, & Commentario indigere, nihilominus ritum profitendi in Regula S. Benedicti præscriptum, exceptis quibusdam Orationibus, & precibus, ferme omnes alias Religiones amplecti testatur Van-Espen J. E. V. part. 1. tit. 27. cap. 1. n. 2. Alius est ritus profitendi in Societate Jesu respectu Scholasticorum & Coadjutorum nondum formatorum, ipsaque professio, quanquam eos Religiosos proprie tales constituat, à professione tamen stricte dicta in eo degenerat, quod Societas non vicissim ad retinendum, & perpetuo alendum Religiosum se obliget. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 1. num. 9. § seqq.

Professio alia est expressa, alia tacita cap. 21. §. fin. de Sentent. excomm. in 6. Illa sit verbis, vel per scripturam, vel utroque simul, quamvis & per mutus, aliaque signa sensibilia traditionem profitentis, & acceptance cum mutua obligatione ex parte Religionis significantia fieri possit. Tacita (quæ etiam præsumpta dici potest) sit triplici modo, vel enim Novitius post expletum probationis annum habitu professorum proprio solenniter indutus, eundem saltem per triduum gestavit cap. 8. § 9. h. t. cap. 1. princ. eod. in 6. vel triduo etiam non ex acto, actum

actum professis proprium deliberate exercuit v.g. suffragium in Capitulo ferendo *cap. 4. h. t.* vel denique, quando habitum à professis non distinctum per integrum annum gestavit *cap. 22. h. t. Clement. 2. eod.* in his casibus præsumitur quis tacite Religionem fuisse professus, quæ præsumptio pro foro externo tam potens est, ut nullam probationem in contrarium admittat per *cit. cap. 4. h. t. Panormit. ibid. num. 5. Gonzalez num. 10. Atamen, in foro interno, si absuit intentio hos actus exercendi animo profitendi, obligationem professorum non contrahit. V. P. Wiestner h. t. n. 76. § 2. seqq.*

Quæres, an etiam hodie post Concilium Tridentinum tacite professioni locus sit? Resp. affirmative, licet aliter, quam olim secundum *cap. 1. § 3. h. tit. in 6. Clement. 2. eod.* si nempe actus, per quos tacita professio inducitur, à Novitio, libere, scienter, & cum intentione profitendi post 16. ætatis annum, totumque probationis annum completum fuerint exerciti, & vicissim ab illis acceptati, quibus jus est ad professionem Novitium admittendi & recipiendi. Barbof. ad *cap. 4. h. t. num. 3. Navarr. lib. 3. Consil. 28. num. 5. h. t. Fagnanus, Rodriquez & alii.*

39 Quodsi quis professionem quidem expressam fecerit, sed invalide, poterit ea convalidari solo consensu renovato ipsius nulliter professi, etsi nec novus annus probationis, nec nova superioris acceptatio sequatur. Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 37. n. 64.* dummodo annus probationis recte transactus, & superior in consensu

prioris acceptationis perseveret, ut in dubio supponitur, & ideo Sanchez *d. l. num. 62.* tutius esse monet, ut etiam ex parte superioris nova acceptatio accedat. Per hoc vero, quod talis præcise actus professis proprios exerceat, ignarus nullitatis professionis, non ratificatur, quia tali modo non ponitur novus consensus ab ignorante *arg. l. 3. §. 8. ff. de condit. caus. dat. Azor part. 1. lib. 12. cap. 4. Q. 7.*

Ut porro professio tam expressa, quam tacita subsistat, requiritur I. ut fiat post annum 16. & annum probationis completum *Concil. Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 15. V. Petra cit. tom. 2. pag. 524. num. 16. § seqq. II. Libere & voluntarie, secus si per errorem, ignorantiam, aut metum injustum fuerit emissa, suo robore caret cap. 15. h. t. cap. 1. de his, quæ vi metusv. III. Ut à Religione cum mutua obligatione acceptetur, est quippe professio contractus reciprocus, adeoque ultro citroque obligatorius *Navarr. Comment. 4. de Regul. num. 74.**

Sed ad quem, rogas, spectat Religiosorum ad professionem admissio, ad Prælatum, num vero ad conventum? Resp. ante omnia ad consuetudinem attendendum esse, vi cujus subinde ad solum Prælatum, subinde ad eundem, & conventum simul pertinere potest per *cap. ult. h. t. in 6.* Abstrahendo vero à speciali consuetudine vel privilegio, verius judico, Prælatum non solum cum consilio, sed etiam consensu conventus Novitios ad professionem recipere debere, quia agitur de re etiam conventum principaliter concernente *arg. cap. 6. de his, quæ fiunt a Prælat. Barbof. ad cap. ult. h. t.*

b. t. in 6. num. 4. cum pluribus ibidem relatis. Pari modo discurrendum est, Prælati mortuo, sive Sede vacante, ut, si jus recipiendi de consuetudine vel privilegio æque principaliter ad Conventum, ac Prælatum pertineat, Conventus etiam solus ad Professionem Novitios admittere possit. *d. cap. fin. b. t. in 6.* Secus, si ad Prælatum solum, vel cum consensu Conventus dicto modo scilicet per privilegium, vel consuetudinem spectet. *cap. un. ne Sede vacant. in 6.* quia, quæ speciali & extraordinario Jure Prælati conveniunt, ad Capitulum Sede vacante non transeunt, ut alibi dictum. Sin vero ad utrumque simul, non ex privilegio, sed de jure spectat receptio Monachorum, tunc Conventus Sede vacante potest admittere ad professionem *d. cap. fin. b. t. in 6.* & colligitur ex *cap. un. §. cum vero ne Sede vacant. in 6.* ubi hoc ipsum statuitur de collatione beneficiorum.

42 Professio valide emissa varios operatur effectus I. solvit sponsalia de futuro, & matrimonium ratum tantum antecedenter contractum dirimit, *cap. 2. de convers. conjug. & Concil. Trident. Sess. 24. Can. 6.* ut pluribus in *lib. 4. ad tit. de Sponsal.* exponetur. II. Si utriusque conjugii etiam post matrimonium consummatum Religionem ingredi placeat, vel unus Religionem amplecti, alter vero continentiaæ votum in sæculo emittere velit, divortium permittit. *cap. 19. b. t.* III. Solemnis professio in certa Religione edita tollit votum simplex ingrediendi aliam Religionem, etiam strictiorem, antecedenter conceptum, quia votum solenne est vinculum fortius *cap. 5. b. t. in 6.* peccat ta-

men talis ingrediendo ordinem laxiorem, ac propterea quod voto priori non satisfecerit, pœnitentia eidem imponi jubetur *d. cap. 5.* IV. Solvit patriam potestatem, quatenus illa filio professio odiosa, non etiam, quatenus eidem favorabilis est; & ideo jura quidem fuitatis, & successionis retinet, & si filio post Professionem bona obveniunt, nil inde pater participat, quia illa bona ad peculium quasi castrense referuntur. *Auth. Presbyteros C. de Episc. & Cleric. V.* Omnia vota & juramenta soli DEO facta expirare facit *cap. 4. de Tot. S. Thom. 2. 2. Q. 88. art. 12. ad 1. S. Anselmus lib. 3. Epist. 33. & 116.* VI. Tollit irregularitatem ex defectu Natalium provenientem in ordine ad SS. Ordines recipiendos, non etiam ad Prælaturas *cap. 1. de filiis Presbyt.* Vid. quæ ad *dict. tit.* scripsimus. VII. Plenissimam remissionem peccatorum quoad pœnam impertitur, non etiam quoad culpam, quia non est Sacramentum. *S. Doct. 2. 2. Q. 189. art. 3. ad 3.* & communiter Theologi. Vide eximium P. Rottner *cit. tract. Q. 7. artic. 3. §. 2. per tot.* ubi hos & alios effectus prolixiori calamo recenset.

Quæres, an liceat quandoque contra professionem factam reclamare, atque hoc pacto rursus ad sæculum redire? ut hæc magni momenti quæstio rite excutiatur, ea, quæ PP. Concilii Tridentini circa hoc punctum decrevère, explanare oportet. Tenor Constitutionis in *Sess. 25. de Regul. cap. 19.* ita sonat: *Quicumque Regularis prætendat, se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere qua-*

cunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine Licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die Professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas pretenderit, deduxerit coram superiore suo, & Ordinario. Quodsi antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, interim vero nullo privilegio suæ Religionis juvetur. Ex hac conciliari Constitutione apparet, quod plura requisita debeant concurrere, ut contra professionem reclamare volens audiatur, eique liber ad sæculum regressus indulgeatur.

44. Primum requisitum est *causa legitima*, ex qua reclamans doceat, professionem à se emissam nullitatis vitio laborare. Sunt vero ejusmodi causæ. Vis, vel metus gravis, defectus ætatis, probationis annus nondum expletus, acceptatio non facta à legitimo superiore, & similia, quæ de jure professionem nullam reddere possunt.

Secundum requisitum est, ut reclamatio fiat intra *quinquennium* à die professionis emissæ numerandum, causæque nullitatis intra hoc spatium proponantur, serius si veniat reclamator, amplius non auditur, & quoad hoc punctum Decretum Concilii jus novum induxit; nam, ut notant interpretes ad *cap. 1. de his, quæ vi metusv.* olim poterat nulliter professus quocunque tempore causas nullitatis exponere. Van-Espen *J. E. V. part. 1. tit. 27. cap. 6. num. 1.* Distinguunt tamen aliqui Authores inter causas nullitatis, quæ inducunt impedimentum *perpetuum* & inter illas, quæ duntaxat

ad tempus durant, ut potest esse *metus*, ita ut causæ impedimentum temporale constituentes intra quinquennium necessario proponi debeant, illæ vero, quæ perpetuo durant, semper, adeoque etiam post quinquennium, opponi valeant. Verum hæc differentia rejicitur à Fagnano ad *cap. 1. de his, quæ vi metusve num. 37.* & sequitur quod Sac. Congregatio Cardinalium Concil. Trid. & S. Congregatio Regularium desuper consulta eandem repudiaverit, tum quod Concil. Trid. in illis verbis: *Velitque habitum dimittere quacunque de causa*, generaliter omni impedimento sive temporario, sive perpetuo post quinquennium in iudicium deducendo viam præcluserit, excepto duntaxat casu, quo impedimentum est *notorium* notoreitate *facti permanentis*, aut periculum scandali, & peccati imminet, prout Fagnanus exemplificat in viro fœminam simulante, qui in Monasterio monialium professionem emisit, quo casu procul dubio etiam post quinquennium causa nullitatis exponi poterit. Vide Fagnan. ad *d. cap. à num. 36.* Van-Espen *l. cit. num. 6. 7. & 8.*

Quid vero causæ sit, quod Concilium post quinquennale silentium reclamare volentem amplius audiendum non esse decernat, non satis liquet. Non pauci in ea opinione sunt, quod Patres Tridentini crediderint, professum ex tanto temporis lapsu, quo tacuit, nec de professionis nullitate egit, eandem tacite ratificasse, hancque præsumptionem esse *juris* & *de jure*, ut nullam in contrarium probationem admittat juxta ea, quæ traduntur in *tit. de Præsumpt.* Sanchez *de Matrim. lib. 7. di-*

disput. 37. num. 9. Navarr. Comment. 4. de Regul. num. 73. Erroneam & reprobata hanc opinionem dicit Card. de Luca in *Annot. ad Concil. Trident. discurs. 41. n. 7. & de Regular. discurs. 41. num. 11.* „Cum omnino sit verius „(sunt ejus verba) quod temporis „lapsus *juris* tantum inducat præsumptionem, contraria probatione elidibilem. Fagnanus vero ad *dist. cap. num. 50.* non ex tacita ratificatione, sed alio ex capite post quinquennium reclamare volentibus audientiam denegari contendit, videlicet, ut tali modo consulatur quieti Religionum: etenim, si quocunque tempore ejusmodi nullitates in iudicium deduci possent, maximas in Religionibus perturbationes oriri contingeret, ut consideranti patebit.

47 Tertium requisitum est, ut reclamatio, si intra quinquennium instituat, fiat coram superiore regulari locali, scilicet illius Monasterii, in quo reclamans professionem fecit, & Ordinario loci. An vero conjunctim sive coram utroque superiore reclamatio fieri debeat, dubitaveris? Card. de Luca in *Annot. ad Concil. Trident. dist. discurs. 41. num. 8. & de Regul. discurs. 45. num. 4. & 5.* sufficere ait, si coram alterutro, adeoque divisim fiat, imo coram quocunque iudice, vel apud acta Notarii, quinimo etiam coram aliis honestis viris & amicis, qui idem Author *de Regular. discurs. 41. num. 2.* Superiores Religionum monitos vult, ne erga tales se difficiles exhibeant, qui professionem suam impugnare volunt: „Saluberrimum enim pro meo „sensu, inquit, Religionibus videtur, „egressui ostium apertum, pernicio-

„sum è converso, illud rigoroſe clauſum retinere.

Quartum requisitum est, ut Religiosus ad nullitatem professionis agere volens, prius habitum non dimittat; secus ad allegandam causam non admittitur, sed ad Monasterium redire cogitur, & tanquam apostata punitur, nec ullo interim suæ Religionis privilegio juvatur. Rationem hanc assignat Cardinal. de Luca *de Regular. discurs. 41. num. 10.* „Ne alias ita Religioso sub hoc prætextu concedatur „Licentia vivendi extra claustra durante lite, quæ ita in longum protrahi posset, quamvis agnosceretur, „quod litis eventus futurus esset malus, dum ita obtineretur intentum „vivendi interim in sæculo.

„Quando itaque (sunt porro hujus Purpurati Doctoris verba in *Annot. ad Concil. Trid. cit. discurs. 41. num. 3.*) ista forma servatur, facti potius, quam *juris* remanent Quæstiones super præsentis nullitatis subsistentia, vel insubsistentia, cum totum pendeat ex probationibus, ac facti circumstantiis, ideoque desuper statui non potest certa Regula generalis cuicunque casui applicabilis.

Quid ergo, si causa nullitatis, v.g. 49 metus ultra quinquennium perduraverit, aut fuerit iuste ignorata, aut nulliter professus legitime impeditus, quominus agere potuerit, an hoc casu vinculis Religionis etiam invitatus illigatus manere debebit, num vero alio juris remedio eidem succurratur? Resp. succurri eidem beneficio restitutionis in integrum, per quod contra lapsum fatalium, sive contra quinquennium

nium eatenus restituitur, ut causas nullitatis, & quare intra hunc terminum non potuerit agere, in iudicium deducere valeat, fit autem hoc modo: gravatus, sive nulliter professus recurrit immediate ad Sedem Apostolicam, eadem per libellum supplicem exponendo causas nullitatis, & impedimentorum, quorum causa celerius, hoc est, intra quinquennium coram suo superiore, & ordinario reclamare nequiverit, S. Pontifex deinde auditis Oratoris precibus negotium hoc vel ad signaturam Gratia, vel ad S. Congregationem Concilii, vel Regularium, examinandum remittit, ubi, si postea

discussis causis nullitatis & impedimentorum de veritate precum confiterit, precista restituitur in integrum, hoc est, fit ipsi venia, causam suam deferendi ad iudices ordinarios, scilicet superiorem suum, & loci ordinarium, qui servatis servandis iustitiam super declaratione prætensa nullitatis professionis ipsi exhiberi faciunt. Et ita de stylo Curia obtinere testatur altesatus Card. de Luca de *Regular. discurs. 41. num. 11.* & ex illo Clericatus in *discord. Forensib. de Regular. discord. 37. num. 8.* & seqq. Van Espen *l. cit. num. 9.*

§. IV.

De Transitu ab una Religione ad aliam.

S U M M A R I A.

50. Religioso professo transitus ad aliam Religionem prohibitus non est. 51. Modo fiat ad Ordinem strictiorem. 52. Cum venia superioris. 53. Et Literis Dimissoriis ab eodem datis. 54. Quid per transitum ad strictiorem Religionem intelligatur? 55. Mendicantes ad Ordinem non mendicantium transire nequeunt. 56. Ad aequalem si fiat transitus, Praelati, & Conventus consensus. 57. Ad laxiorem etiam Summi Pontificis licentia intervenire debet. 58. Transiens ad alium Ordinem Novitiatum de novo auspicari debet. 59. 60. 61. 62. An ad alium Ordinem transiens secum etiam bona transferat, haec questio per distinctas Resolutiones evolvitur.

50 **Q**uanquam secundum Apostoli Sententiam *1. Corinth. 7. v. 20.* unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat, atque adeo etiam quilibet Religiosus in Monasterio, in quo professus est, nihilominus transitus ab uno ordine ad alium eidem prohibitus non est, si sub certis conditionibus in *cap. 18. h. t.* praescriptis fiat, quarum

Prima est, ut transitus fiat ad Religionem strictiorem. Concil. Trident. *Sess. 25. de Regul. cap. 19.* ne votum stabilitatis in uno loco factum majus bonum impediatur, & viam ad perfectionem pracludat, modo praecise studio perfectionis, non vero ex levitate animi, vel contemptu prioris Monasterii, vel etiam cum ejusdem injuria, aut jactura, vel ad declinandam aliquam

quam poenam promeritam instituat. Quoniam vero hac in parte difficile est discernere, an transire volens Spiritu DEI ducatur, num vero ex instinctu diabolico, qui sæpe sapius se in Angelum lucis transformare solet, ejusmodi desiderium conceperit, ideo S. Bernardus *lib. de Præcept. & dispens. cap. 16.* hunc transitum etiam strictioris vitæ causa ob varias rationes improbat, & quidem I. *propter scandalum illorum, quos deserit.* II. *Quia certa pro dubiis relinquere tutum non est, forsitan enim hæc tenere potest, illud non poterit.* III. *Quia suspecta merito habetur levitas, qua id sane, quod facile volumus, antequam probemus, experti jam nolumus, uno prope momento idipsum & cupientes, & respicientes tam leviter, quam & irrationabiliter, quales utique non paucos frequenter experimur, qui una vix hora in una voluntate durantes, aura levitatis impulsæ, vagi, & instabiles hæc, & illac velut ebrii nutant, mutantque pro experimento iudicium, imo sine iudicio fluctuantes & tumultuantes tot de se consilia præsumunt, quot loca revisunt, semper quod non habent, cupientes, & quod habent, fastidientes.* Ne subinde hac in re temere quid statuatur,

52 Secunda conditio est, ut transire volens ad alium ordinem idipsum superiori suo reverenter insinuet, ejusque desuper licentiam *cum humilitate, & puritate* petat. *cit. cap. 18. h. t. ex ratione ibidem subjecta: Ne bonum obedientie videatur contemnere.* Hoc quippe pacto transitus si fiat, temerarius dici nequit, nec S. Bernardo improbat, nam, ut *cit. loc. ait: Forte vult aliquis de Cluniacensibus institutis*

ad Cisterciensium sese stringere paupertatem, eligens præ illis nimirum consuetudinibus magis regule puritatem: si me consulit, non consulo: si non sane, id Abbatis sui usurpaverit assensu. Interim consensu, & licentia positiva sui superioris transiturus non indigebit. *d. cap. 18.* Debito tamen tempore superioris responsum ei expectandum erit *arg. cap. 52. de Elect. Panormit. ad d. cap. 18. h. t. num. 8.* Imo etiam eo casu, quo superior licentiam petenti denegaret, non statim transire licebit Religioso, quia justam denegandi causam habere potuit prælatus & in *d. cap. 18.* tunc tantum conceditur transitus, si *proterve & indiscrete* licentiam denegaverit. Quodsi igitur superior nullam causam alleget denegatæ licentiæ, debet Religiosus causam petere, quam si Prælatus aperire nolit, tunc demum libere transire poterit. Id à fortiori procedit, si causam manifeste injustam alleget Prælatus: sin vero causam verisimilem afferret, sita, ut res dubia foret, tunc lite quasi pendente, & re dubia transire non liceret, adeundus proinde erit superior, cujus est de Controversiis inter ordinem utrumque exortis cognoscere, & pronuntiare. Suarez *tom. 4. de Religion. tract. 8. lib. 3. cap. 10. n. 28.* Joan. Andr. *ad d. cap. 18. n. 7.* Panormitan. *ibid. num. 9.* Quinimo scribit laudatus Card. de Luca in *Annot. ad Concil. Trid. discurs. 41. num. 1.* „Neque à laxiori ad strictiorem libertas „transeundi conceditur, sine licentia „sacrae Congregationis Regularium, „quæ audito superiore primæ Religio- „nis id concedere solet, certas præ- „scribendo Religiones, in quibus be-

nevoli receptores inveniantur pro
facti qualitate, ac singulorum casuum
circumstantiis.

53 Tertia conditio est, ut Litteris Dimissoriis sui Prælati, à quo transit, coram superiore alterius Religionis instructus compareat; secus admitti nequit *cap. 3. C. 19. Q. 3.* & patet ex Regula S. Benedicti *cap. 61.* ubi ita monet Abbatem: *Caveat Abbas, ne aliquando de alio noto Monasterio Monachum ad habitandum suscipiat sine consensu Abbatis ejus, aut Litteris Dimissoriis.* Excipe nisi in continenti probare possit, easdem quidem petitas, sed injuste denegatas fuisse. P. Wiestner cum aliis *b. t. num. 123.*

54 Cum dictum sit, vigore Concilii Tridentini *Sess. 25. de Regul. cap. 19.* permissum esse transitum à laxiori ad strictiorem ordinem, notandum esse monet Tambur. *de J. Abb. tom. 3. disput. 7. Q. 4. num. 3.* quod hic rigor non tantum ex austeritate Regulæ, & primæva ejus institutione metiendus sit, sed præcipue ad consuetudines, Constitutiones, & reformationes, nec non ad modernam Ordinis observantiam, imo & particularis Monasterii, ad quod quis transire cogitat, reflectendum sit. Quapropter qui professus est ordinem ex primæva institutione strictiorem, si hodie ex observantia sit laxior, poterit transire ad alium ex sua primogenia indole laxiorem, ex moderna vero observantia strictiorem, dummodo non sit spes reformationis in proprio ordine, vel Monasterium ejusdem Ordinis, & strictioris observantiæ in Provincia non existat. Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 7. num. 24.*

De Religiosis Ordinum Mendicantium id peculiariter statutum est in *Extrav. 1. b. t. inter commun.* quòd ad Ordinem non mendicantium præter Carthusianos, transire ipsis permissum non sit, poterunt tamen, spectato saltem Jure communi, ad alium Ordinem Mendicantium strictiorem transire. Cæterum, quomodo Religiosus Mendicans ad ordinem non mendicantium dispensative transire permissus, ab actibus Capitularibus, Dignitatibus, & Officiis illius Monasterii, ad quod transit, excludatur, docetur in *Clement. 1. b. t.* Videndus quoque Tambur. *cit. disput. Q. 2.* ubi plura specialia Privilegia aliorum Ordinum quoad prohibitum transitum refert.

Quodsi vero Regularis non ad Ordinem strictiorem, sed æqualem transire cupiat, non sufficit, petiisse licentiam superioris, ut supra dictum est, sed insuper requiritur, ut licentia & Prælati, & Conventus simul fuerit obtenta, & hoc tum propter jus & obligationem Monasterio quæsitam, tum quod talis transitus alienatio quasi personæ censeatur, aliter, ac in transitu ad Ordinem strictiorem, quia tunc non fit alienatio, sed commutatio in melius. Fagnan. *ad cap. ult. de renunt. num. 18.* Panorm. *ad cap. 7. b. t. n. 6.* Sanchez *d. cap. 7. num. 66.* necesse tamen est, ut justa quoque causa transitus v. g. infirmitatis &c. concurrat.

Denique à strictiore ad laxiorem Regulam transeundi licentiam dare potest solus S. Pontifex, ut colligitur ex *cit. cap. 19. Concil. Trid.* vel ejus nomine S. Congregatione Regularium, ut notat Card. de Luca *de Regul. discurs. 37. num. 2. & discurs. 38. num. 8.*

Et

Et siquidem sine justa causa concesserit transitum S. Pontifex, is quidem valebit, impetrans tamen defacto in conscientia securus non erit, ipsa vero religio, hoc est, Prælatus cum Conventu ex justa causa v.g. propter debilitatem corporis, aëris intemperiem &c. sine approbatione Apostolica transitum talem concedere potest. Panormit. ad cap. 4. h. t. num. 6. Navarr. Comment. 4. de Regul. num. 10. § 11. Tambur. cit. disput. Q. 5. Barbosa J. E. V. lib. 1. cap. 42. num. 78. quem male allegat Card. de Luca d. discurs. 37. n. 2. ubi contrarium tenet.

78 Circa transitum ab una Religione ad aliam id porro notandum venit, quod, cum juxta Tridentinum nullam Religionem profiteri liceat, nisi quis prius ejus rigorem per annum integrum expertus fuerit, ideo talis regularis transiens, in secunda Religione Novitiatum denique absolvere; & si forte poeniteat intra illum probationis annum, à priori Monasterio recipi debeat, quia omni Novitio poenitere permillum est, nec talis priorem Religionem abdicasse, ac novam suscepisse censeri potest, nisi ibidem professus fuerit. Barbof. cit. cap. num. 84. cum aliis ibidem relatis, scribit tamen jam saepe laudatus de Luca discurs. 38. n. 17. quod S. Congregatio Cardinalium cum tali transeunte de facili dispensare, & annum probationis terminum limitare soleat, maxime, si transitus non fiat ad Ordinem strictiorem, eo, quod talis expertus jam sit rigorem cujuscunque Religionis generalem, & illa mutatio, quæ ex assumptione alterius Religionis supervenit, tantum sit accidentalis.

Circa Religiosos ad alium Ordinem transeuntes id adhuc evolendum restat, an etiam cum ipsis bona transferantur? Ad quod dubium Respond. I. si tali jam actualiter in primo Monasterio bona obvenerunt, ea penes Monasterium (supposito, quod bonorum capax sit) manent, nec restituenda sunt, siue Religiosus ad alium Ordinem transeat, siue in priori Monasterio moriatur, quia Monasterio quoad similia bona jus jam est quæsitum. Idem est dicendum de bonis, quæ illi obveniunt tanquam Novitio secundæ Religionis, ad quam transit. Miranda tom. 1. Q. 31. art. 24. Tuscus tom. 5. Lit. M. Concl. 321. Barbof. cit. cap. num. 91. Tamburin. de Jur. Abb. tom. 3. disput. 7. Q. 6. censetur enim adhuc Religiosus prioris Monasterii Auth. ingressi C. de SS. Eccles.

Resp. II. Si talis Religiosus bona duntaxat in spe habeat v. g. hæreditatem patris adhuc viventis, legata conditionalia, quorum conditio non impleta sit ante transitum, multo magis bona ex libera donatione amicorum, vel propria industria quæsitæ post professionem in secunda Religione, ea omnia secundo Monasterio acquireret, si bonorum capax fuerit. Sanchez lib. 7. cap. 32. num. 8. Azor lib. 12. cap. 15. Q. 3.

Resp. III. Si secundum Monasterium bonorum incapax fuerit, ut, si Benedictinus v. g. ad Capucinos transiret, tunc bona Monasterio Benedictino prius quæsitæ, vel etiam durante Novitiatu apud Capucinos obvencientia apud illud manerent, ut dictum est, quæ vero post professionem apud Capucinos emissam professo obtingerent,

ca

ea non priori Monasterio bonorum capaci, sed hæredibus ab intestato acquirerentur. Barbof. *d. cap. 42. n. 91.* ubi Decisiones S. Rotæ, & declarationes Cardinalium allegat.

Similiter si quis à Religione bonorum incapaci transeat ad bonorum pacem, v. g. *Franciscanus ad Carthusianos*, & huic in priori Monasterio hæreditas, vel alia bona obtigerint, ea non ad Carthusianos transfert, sed penes hæredes ab intestato manebunt, quæ vero deinceps obvenerint, secundo Monasterio acquirat. Tambur. *d. l. num. 7.* Barbof. *cit. cap. num. 93.* Sanchez *d. cap. 32. n. 20.*

Resp. IV. Si Religiosus ab uno Monasterio transferatur ad aliud, non ut ibi profiteatur, sed pœnitentiæ causa, tunc bona omnia, sive acquisita, sive acquirenda pertinent ad prius Monasterium, ususfructus vero eatenus cum secundo Monasterio dividi debet, quatenus alimenta necessaria Religioso ibidem præstanda exigunt *cap. 5. C. 16. Q. 6. cap. 30. V. cautioni C. 27. Q. 1. Azor lib. 12. cap. 15. Q. 3. Sanchez d. l. num. 46. Barbof. cit. cap. n. 69.* nisi forte talis Religiosus translatus ita deserviret in secundo Monasterio, ut servitia alimentis æquivalent. Sanchez *n. 47.* Tambur. *d. l. n. 7.*

§. V.

Irregularis de statu Regularium Bœhmeri doctrina refellitur.

S U M M A R I A.

63. Ad Bœhmeri calumnias quare respondendum sit? 64. Negat Bœhmerus vitam regularem esse conformem vitæ Christi. 65. Carpit Patres, monasticæ vitæ præcones. 66. Etymologiam nominis Monachus sugillat. 67. Quod certæ Regule alumni Religionum addicantur, reprobat. 68. Obedientiam cœcæ exhibet. 69. Decretalem Innocentii III. in cap. 20. h. t. pessime interpretatur. 70. Eundem Rabulistarum numero habet. 71. Hæc calumnia in Authorem recidunt.

NE à reliquo hæreticorum vulgo vel in unico etiam puncto dissentiret Bœhmerus, postquam in supremam Ecclesiæ Hierarchiam, ac reliquos Ecclesiæ Præsules, totumque Clerum virus maledictionis suæ illoto ore evomisset, ut in superioribus libris & titulis hinc inde jam ostendimus; Regulares quoque & Monachos admordere, eorumque instituta traducere, mores carpere, ac variis con-

vitiis proscindere pergit. Possemus equidem hominis insanientis deliramenta silentio præterire, juxta monitum sapientis *Prov. 26. v. 4. Ne respondeas stulto secundum stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*, quia tamen evenire posset, ut ex nostro silentio vel pusilli scandalum fumerent, vel impudens hic scriptor jactantior & efferatior evaderet, idcirco ad reprimendam ejus jactantiam, vanitatēque proterendam

te-

temerariis ejus positionibus, quas Commentario suo ad tit. de Regul. inferuit, respondendum esse duximus, memores illius moniti, quod sapiens cit. cap. v. 5. dedit: *responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Sit igitur

64. *Thesis I.* Negat Bœhmerus in §. 3. b. t. vitæ monasticæ & regularis institutorem esse Christum, & mores Monachorum convenire cum moribus Christi: *in vitæ Christi* (inquit) *nihil deprehenditur, quod cum jugo Monastico ad certas Regulas adstricto conveniat.* Hæc satis effronter. Status Regularis est status perfectionis, utpote per Consilia Evangelica ultra id, quod faciendum est omni Christiano ex præcepto, expeditiori via ad charitatem DEI, quæ est culmen perfectionis, hominem deducens: ergo prudenter inferimus: Christus, qui est caput, & principium corporis Ecclesiæ, est insimul principium & caput status perfectionis. Hæc tria Consilia Evangelica, scilicet *paupertatis, castitatis, & obedientiæ*, in quibus substantia regularis vitæ consistit, Christus docuit verbo *Matth. 10. v. 9. Matth. 19. v. 2. & v. 12. Luc. 9. v. 23.* docuit etiam exemplo, Virgo ex Virgine natus, obediens usque ad mortem, spontanea rerum temporalium abdicatione pauperimus, quippe, qui in Cruce moriens nec habuit, quo caput reclinaret. Et fas sit dicere: *In vitæ Christi nihil deprehendi, quod cum jugo Monastico conveniat?* Ut telum hoc feriat, in Bœhmerum ita retorquendum est: *Secta Lutheri* cælibatum damnat, paupertatem odit, obedientiam nescit: ex-

go *in vitæ Christi nihil deprehenditur, quod cum hac secta conveniat.*

Thesis II. Bœhmerus in §. 4. b. t. 65 adversus SS. Patres, qui vitæ Monasticæ solitudinem, eremique recessus miris laudibus extollunt, impotenter exardescit. *quis hanc Philosophiam* (inquit) *patienter ferat animo, nisi qui doctrinam Christi saniozem Matth. 5. v. 14. 15. & 16. repudiandam esse credat?* Denique furore percitus in hæc petulantissima verba erumpit: *Facile ostendi posset, ipsam Monachorum superstitionem corruptionum omnium causam fuisse primariam.* Hoc Scomma paucis, & quidem modestissime refellimus. In cit. cap. 5. *Matth.* Christus vult esse suos Apostolos lucem mundi, & tanquam lucernas accensas non sub modio, sed super candelabrum poni, & lucere eorum opera coram hominibus. An credis Bœhmere his luminibus officere Monachorum recessum, & antra deserti? Falleris, & oppido falleris: etenim in his latibulis præparatur animus ad recipiendas divinas illustrationes, ut nullibi magis, ipsumque lumen receptum tantisper sub modio delitescit, quoad Divinæ voluntati placuerit, illud super candelabrum ponere, ut luceat, & bonorum operum radios spargat in omnes, id quod sexcentis præjudiciis, si opus foret, nullo negotio firmari posset, dum constat ex his latebris prodiisse viros non tot quin plures, qui Apostolicis laboribus impigre defuncti, utrique orbi Evangelii lucem intulerunt. Illud alterum probrosum dicitur in Monachos jactatum eatenus calculo quoque nostro confirmamus, si per super-

stitutionem Monachorum Bœhmerus intelligat perfidos illos apostatas, & fidei, ac Religionis desertores (quos inter *Martinus Lutherus* primo loco collocari meretur) qui matris viscera rumpentes, novis erroribus orbem compleverunt, & extra Christi Ecclesiam alias Ecclesias (arenosum opus) temerario, & sacrilego ausu exstruere ausi sunt. Ex horum Hæresiarcharum superstitionibus procul dubio omne malorum genus in orbem inventum est, quam cladem etiamnum in Romano Imperio deploramus.

66 *Thesis III.* Bœhmerus in §. 3. h. t. nomen *Monachus* secundum etymologiam, quæ huic vocabulo tribuitur, exhibet, & traducit. *Inepta utique* (ait) est derivatio, quæ in cap. 1. C. 16. Q. 1. traditur, quod *MONACHUS* latine *SINGULARIS* dicatur, quasi *SINGULARITER* vivere debeat. *SINGULARITER* vivere potius dicuntur *INSIPIENTES*, non sapientes, aut *Philosophi*, quales *MONACHI* inter Christianos esse voluerunt, sed forsitan falsa est adducta significatio, non res ipsa. Adhuc absurdior est derivatio, quæ occurrit in cap. 8. C. 16. Q. 1. quod *MONACHUS* dicatur à *Mov* & *ay*, & quod *Mov* denotet *UNUM* & *ay* vero *TRISTEM*, *Monachus* sit *UNUS TRISTIS*. Quis vero ad hanc barbariem non ingemisceret, licet à Sede *Papali* profuxerit? Ut gemitum, vel potius vagitum hunc viro indignum compescam, scito Bœhmere, duplicem dari singularitatem, una est, qua *Monachus* sua privata studia legibus & regulis communibus præponit, nec tam ex præscripto *Regulæ* suas actiones metitur, quam privato spiritu eas dirigit,

& ejusmodi singularitas deterrimum in Religiosa communitate vitium audit, dudum à Patribus proscriptum, & claustris exesse iustum. Alia porro est singularitas, quæ in eo consistit, quod *Monachus* ea, quæ in communitate agere incumbit omnibus, singulari quodam fervore, & diligentia ad limam, & litteram *Regulæ* exacta, peragat, & exequitur. Huic singularitati qui non studet, nomen *Monachi* non meretur: in hac quippe palæstra, quantum currant omnes, unus tamen duntaxat accipit *bravium*, is nimirum, qui reliquos spiritus fervore præcurrit, homo singularis. Et vero, si ipsum textum, sive cap. 1. C. 16. Q. 1. vel obiter inspicias, apparebit, PP. ibidem non de alia singularitate loqui, quam quæ se *Monachus* à moribus sæculi suæ conversatione distinguit. Et ita singulariter vivere hominis insipientis sit? Altera derivatio qua vocabulum *Monachi* idem sonat, ac unus tristis, Bœhmere adhuc absurdior videtur. Nec mirum, unitatem non fert hæreticus, cui vel ipsum nomen invisum est. Audiatur *S. Augustinus* enarrat. in *Psalm.* 132. num. 6. Respondeant nobis, & exponant, qui insultant nomini *Monachorum*, quare ille, qui inventus est triginta octo annos habens in infirmitate, hoc respondisset Domino: cum mota fuerit aqua, non habeo, qui deponat me, alius ante me descendit. Descenderat *UNUS*, jam alius non descendebat. *UNUS SOLUS* sanabatur, *UNITATEM* Ecclesie figurabat. Merito insultant nomini *UNITATIS*, qui se ab *UNITATE* præciderunt. Merito illis displicet nomen *MONACHORUM*, quia illi nolunt habitare in unum eum fratribus; sed

sed sequentes Donatum (Lutherum) Christum dimiserunt. Hæc de uno, & uno solo audivit charitas vestra. Audisti Bœhmere?

67 *Thesis IV.* Bœhmerus in §. 24. § 25. h. t. etiam hoc statui Regulari exprobrat, quod alumnos suos ad certas Regulas vitæ suæ rationes exigere doceat. Vocat affectatam hanc vivendi rationem. Regulas vero ipsas ex variis causis reprobat. I. Quod in illis minimorum cura habeatur. II. Quod credatur, per harum legum observantiam internam animæ emendationem, & peccatorum remissionem obtineri posse. III. Quod homines ineptos & inidoneos reddant ad usum reipublicæ & officia quevis pietatis alteri exhibenda. IV. Cum diversis homines temperamentis instructi sint, & diversis ducantur passionibus, tam specialissima vivendi Regule præscribi haud potuerunt, quæ ad singulos essent accommodata, sed quæ in his ambitionem & avaritiam extinguebant, in aliis sepe irritabant, augebant, & sic iis magis noxiæ erant. Quilibet Monachorum Magister vel Pater Regulas suo temperamento conformes Monachis suis præscribebat, imprudenter has subducendo rationes, omnes homines esse unius ejusdemque nature, & indolis, & unam eandemque medicinam singulis convenire, quæ Philosophia hæc ipsa peperit mala in vita hac philosophica, quibus status Monachorum postea infectus est. Ita imprudentia peccatum, non astutia: bona, non mala fide ut nostratibus vitio verti haud potuerit, quod hæc instituta abolenda esse censuerint. Hanc stolidissimam crisin vel retulisse refutasse est. Cura minimorum quantopere omni Christia-

no, nedum Monacho, commendata esse debeat, illa Sapientis verba Eccl. 19. v. 1. abunde docent: qui spernit modica, paulatim decidet. Præceptum hoc, inquit Augustinus Calmet. in Comment. ibid. quod in Oeconomicis, politicisque rebus maxima est utilitatis, majoris adhuc est in morum disciplina: nam, ut ait S. Bernardus Epist. 383. inutiliter portas civitatis observat, qui vel unum foramen, unde ingrediantur, hostibus relinquit apertum, dicente scriptura, idem facit sentina neglecta, quod ventus irruens. Et vitasti grandia, vide, ne obruaris arena. Reliqua criticæ tuæ capita Bœhmere, hic non moramur, nec propterea te hæreticum proclamamus, quia, ut ait S. Augustinus lib. de Gensis Pelagii num. 17. multa etiam stulta dicuntur ab imperitis & vanis, nec tamen hæreticis; qualia sunt eorum, qui de alienis artibus, quas non didicerunt, temere judicant, aut immeritato & cæco affectu vel laudant, quos diligunt, vel vituperant, quos ode- runt.

Thesis V. Bœhmerus in §. 51. § 52. h. t. obedientiam cœcam, in qua neophyti Religionum Tyrones in anno probationis exerceri solent: nec non ipsum modum probandi, qui per dura & aspera, per opprobria & injurias ex Regula S. Benedicti cap. 58. fieri jubetur, vehementer improbat. De priori sic scribit: eo melior & aptior quisque (Novitius) censetur, quo magis omnem ejurare potest rationem, & simpliciter ad COECAM OBEDIENTIAM mentem suam componere. Contumaces, & qui rationi rectæ aliquem adhuc locum relinquere intendunt, inepti sunt, non tolerandi inter Monachos.

ubi advertat Lector, *contumaces*, & qui ex rectæ rationis ductu agunt, per Bœhmerum conjungi. Parodoxa profecto societas! sed ita eum oportuit scribere; nam aliàs hæretici, qui semper sunt contumaces, nihil ex rectæ rationis imperio agerent. De modo probandi patientiam Novitii per dura & aspera sic discurret: *Tale certamen instar comœdiæ est, sine ullo fructu, & effectu. Nec enim bonus Monachus unquam inde factus est, quod per hypocrisin ad quoddam temporis spatium ridiculum certamen sustinuerit, sicuti in scena, qui personam miserabilem multis convitiis, injuriisque affectam sustinet, & vel Jobi, aut Socratis patientiam ad tempus representat, in certamine patientiæ satis superque probatus dici non potest.* Ex hac crisi adverto, in Bœhmero, utut homine jam sene juveniles impetus necdum esse subactos: sed quid mirum? nunquam enim probationis Religiosæ Tyrocinium fuit ingressus. Agam ergo Magistrum hujus Novitii, sed cum omni discretionem. Quod cœcam obedientiam explodat, ac si rectæ rationis usum homini Religioso auferat, eundemque quasi exoculet, ne verum perspiciat, Bœhmero male verti haudquaquam debet: quæ enim aliter judicaret de cœca obedientia... ipse cœcus? *Hinc est* (scribit Nebridio S. Augustinus *Epist. 7.*) *quod à prima etate cœci, cum de luce, coloribusque interrogantur, quid respondeant, non inveniunt, non enim coloratas ullas patiuntur imagines, qui senserunt nullas.* Ad alterum: quod annus probationis sit instar ludi Theatralis, ipsique Novitii sint Personæ Comicæ, quæ ludos instruant, non negamus.

Optima & ad rem cumprimis apposita allegoria usus es Bœhmere; sed memento, hanc Comœdiam nonnisi cum morte Actorum absolvi: ut subinde Religiosi personam patientis *Jobi*, obedientis *Abrahami*, contriti & ad pœnitentiam compuncti *David* &c. ad palatum spectatorum recte per omnem vitam sustineant (sunt enim spectaculum facti DEO, Angelis, & hominibus) per Tyrocinii exercitationes eos probari oportet. Novitiatu est instar *Prologi*, in quo juxta Regulas Comicas tota rei declamanda series per figuras compendio representatur. Simulationi aut hypocrisis hic nullus est locus, aut, si obrepit, si non maturius, certe in vitæ *Epilogo* personato Actori larva detrahitur. Luculentum ejusmodi Tragœdiæ exemplum habemus in *MARTINO LUTHERO*, is in vitæ suæ *Prologo* *Monachum* egit, in decursu actionis pertæsus longioris moræ, ex *Scena* profugit, *Monachum* exiit. Nudus jam ne ad ludibrium aspectantium oberraret, velo virginitatis à *Catharina Borretta* emendicato nuditatem suam operuit, quam tamen mox tædæ conjugales, utut funestæ, ocyus revelarunt. *Apostolum* deinceps aliquantisper mentitus, discipulos plurimos congregavit, tandem Comœdiæ *Epilogum* instare persentiscens, *vino cremato* sive *aqua vitæ*, ut vocant, per foeminam (O dulce morientis *Apostoli* solatium) ultimo viaticatus, & ad agonem inunctus, ut habet *Seckendorf* in *Histor. Lutheranis. lib. 3. sect. 36. s. 133.* inter acerbos angores, conscientiam itendidem fodicantes, impenitentem animam exhalavit. Unde factum

Am esse reor, quod hodie DD. Protestantæ monasticæ desertionis turpitudinem in Luthero averfantes, discipuli ejus esse erubescant, quanquam infami hoc nomine semel ustulati, compellari se etiamnum patienter ferre debeant, nam, ut scribit Christian. Thomafius in exegef. ad Puffendorffii tract. de habit. Relig. Christ. ad vit. Civil. part. 1. §. 53. Lutherus war zwar wohl ein guter Mann, die Wüterbenberger feynd ihm aber nicht nachgefolget; und es kommt auch nur darauf an, woferne seine Lehre in Sacra Scriptura gegründet ist, und nicht von wem dieselbe herkomme. Allein es haben schon andere gelehrte und Ortsförchtige Leute genugsam gezeigt, daß wir keine Lutheraner mehr feynd, ob wir uns schon also nennen.

69 *Thesis VI.* Böhmerus in §. 65. §. seq. h. t. carpit Innocentium III. quod in cap. 20. h. t. statuerit, eum, qui absolute proposuit vitam mutare, & sub habitu regulari omnipotenti DEO de cætero famulari, infra annum probationis non posse amplius recedere ad sæculum, sed ad regularem vitam, saltem in ordine laxiori traducendam, obligari. Mira omnino, ait, est Pontificis philosophia, qua vix subtilior fingi, & durior pro constringenda hominum libertate excogitari potuit. Non omne propositum statim vim voti habet, cum quilibet, qui Monasterium ingreditur, semper propositum serium habere præsumatur, asceticam vitam assumendi: Probationis annus inanis, & sine effectu foret, si omne propositum absolute indispensabile jugum Novitiis imponeret, quod Innocentius censuit.

Quodsi Böhmerus nostros interpretes ad d. cap. 20. consulisset, hanc crifin suam inanem esse nullo negotio deprehendisset. Non loquitur ibi Innocentius de nudo proposito assumendi habitum regularem, sed, quatenus illud etiam promissione, adeoque voto firmatum est. Vide Barbof. ad d. cap. 20. num. 3. Panormit. ibid. num. 3. Hostiens. ibid. num. 9. ubi dicit: Non intelligas hoc, quod ex solo proposito obligetur, sed ex proposito deliberato & continuato, & voto emisso maxime suscepto habitu. Sanchez de Matrim. lib. 9. disp. 33. num. 18. Azor Insit. Moral. part. 1. lib. 11. cap. 20. Q. 9. qui ait, Pontificem intellexisse nomine hujus propositi unacum habitus susceptione votum profitendi vitam monasticam, & in ea perseverandi. Prout id clare colligitur ex cap. 23. eod. tit. de hoc solum inter interpretes est contentio, an hoc votum censendum sit simplex, vel solemne ex tacita professione resultans, de quo dubio consulendi sunt Panormit. ad cit. cap. 20. h. t. n. 3. §. 4. Fagnan. ibid. num. 18. §. seqq. Habeat subinde sibi dictum Böhmerus illud Celsi JC. in l. 17. ff. de LL. scire leges non est, verba earum tenere, sed vim, ac potestatem.

Thesis VII. Böhmerus in §. 67. h. t. 70 rursus Innocentio III. petulanter insultat, eumque Rabulistarum numero habet, rationem audite. Statuerat Innocentius in cap. 16. h. t. ut, si Novitius intra annum probationis cum consensu Abbatis professionem emisserit, professio teneat, non obstante, quod annum probationis tempus à SS. PP. fuerit indultum, quia hoc Annale spatium fuit concessum tam in favorem

K k 3

No-

vitii, quam ipsius Religionis, ut & ille asperitates istius, & istud mores illius valeat experiri, potest autem quilibet favori pro se introducto renuntiare. l. 38. ff. de Pact. & ex hoc principio resolvit Innocentius, professionem ante elapsum probationis annum mutuo consensu emissam valere, cum, uterque, tam Novitius, quam Prælatus, renuntiare videatur ei, quod pro se noscitur introductum. Verum in applicatione hujus gnomæ ex judicio Bœhmeri vehementer erravit Innocentius, misere torquet, inquit, & applicat Regulas Juris Canonici Innocentius, ut vix a conditione Rabulistarum, immunis esse videatur. Quomodo ergo in applicatione peccatum fuit? Id enim, pergit, in questione erat, utrum in favorem Novitii & Monasterii hic annus esset præscriptus, & annon potius, ut ex Novell. 5. cap. 2. liquet, lege publica, universo Ordini Monastico imperatus, & per indirectum prohibitum, ne etiam volens intra annum probationis recipe-retur. Legi autem PROHIBITIVÆ, & PRÆCEPTIVÆ renuntiare nequit, legem PROHIBITIVAM ipse Innocentius III. hic agnoscit, subjungens novum juris brocardicon: **QUIA MULTA FIERI PROHIBENTUR, QUÆ SI FACTA FUERINT, OBTINENT ROBORIS FIRMITATEM.** Quodsi hic adest lex PROHIBITIVA, adducta ratio de RENUNTIATIONE JURIS absurde applicata est. Ita est, Bœhmere, absurde applicata est, non ratio Innocentii ad casum legis, sed tua inanissima crisis ad Decisionem Pontificis. In dicta Decretali, Innocentius se non refert ad legem aliquam publicam, professionem ante annum probationis ex-

actum fieri vetantem, sed ad instituta regularia, quæ à SS. Ordinibus emanarunt, inquit: Cum Monachum fieri ante unius anni probationem REGULARIS INSTITUTIO interdicit, intellexit vero per regularem institutionem præcipue Regulam S. Benedicti, juxta quam annua probatio professioni præmitti debet, cap. 58. idipsum attestante Alexandro II. in cap. 1. C. 17. Q. 2. his verbis: **Quia & Beati Benedicti Regula, & præcipue patris, & prædecessoris nostri Sancti Gregorii Papæ Canonica institutio interdicit, Monachum ante unius anni probationem effici, judicamus &c.** Idem probationis spatium præscripserunt S. Cæsarius cap. 5. Ferreolus cap. 5. Regul. Fructuosus Archi-Episcopus cap. 21. Fructuosus alter cap. 18. Hæc vero Regula non erant leges publicæ, sed ordinationes paternæ, ideoque, quam prohiberent professionem fieri ante annum probationis completum, factam tamen mutuo & religionis, & profitentis consensu non annullabant, & hoc ideo, quod hæc ipsa prohibitio in privatum duntaxat ipsorum profitentium, & admittentium favorem fuerit concepta. V. Gonzalez ad c. 16. de Regul. num. 4. est vero juris plani, quod leges prohibitivæ, & præceptivæ, quæ privatorum utilitatem respiciunt, pacta, vel actus in contrarium positos non annullent. Sic, ut rem illustremus exemplo: Mulier SCto Vellejano prohibetur pro aliis intercedere l. 1. princ. ff. ad SC. Vellej. & tamen si de beneficio suo edocta intercedat, intercessio tenet, l. ult. §. penult. d. t. quia prohibitio hæc cedit in favorem mulieris, cui subinde renuntiare potest. Ne quid

quid dicam, quod plura alia exempla suppetant tum in jure nostro, tum civili, ex quibus apparet, ea, quæ contra legem prohibentem fiunt, non semper pro infectis haberi, sed ab ipso jure vel per disertam approbationem, vel saltem per tolerantiam sustineri. Lege sis *cap. 6. Qui Cleric. vel vov. cap. un. de Vot. in 6. cap. 2. de cognat. spirit. in 6. t. t. de Matrim. contr. interd. l. 1. §. 5. ff. Quand. appelland. l. 9. §. 10. ff. de Pen.* Aliud dicendum foret de lege prohibitiva, quæ aliquid prohibet ut turpe, aut publice noxium, ejusmodi legi procul dubio renunciari nequit, cum privatorum pactis juri publico derogari non possit *l. 38. ff. de Pact. l. 6. C. eod.* at vero eo tempore, quo dicta Decretalis *Innocentii* emanavit, Constitutiones regulares professionem ante expletum probationis annum fieri vetantes, non spectabant disciplinam publicam, sed privatum duntaxat ipsius Religionis, & profitentium commodum, ut ipse *Innocentius d. l. fatetur*, unde ipsi conditores Ordinum, quos supra laudavimus, tempus annuæ probationis non usque adeo necessarium esse agnoverunt, quin ex causa rationabili restringi & relaxari potuerit, prout ex eorum regulis patenter ostendit *Gonzalez ad d. cap. 16. b. tit. num. 5.* subjungens: *sed tempus hoc non erat simpliciter necessarium, sed tantum sub ea conditione: nisi Novitius, & religio renuntiarent.* Nec *Novella Justiniani §. cap. 2.* ad quam *Boehmerus* provocat, ejus crisin à temeritate excusat: nam, præterquam quod ibidem *triennem* probationem professioni præmittendam esse statuerit, nullus Pontificum à *Boehmero* pro-

duci potest, qui hanc Constitutionem recepisset, approbasset, aut in usum deduxisset, excepto *Gregorio M.* qui speciali pacto cum *Mauritio* Augusto inito circa milites, converti volentes, hanc triennalis probationis legem observari voluit, non quod *Justiniani* lege Ecclesiam teneri hoc pacto protestaretur, sed, ut *Mauritium* Imperatorem, qui alios milites ad Monachatum admittere volebat, quam qui militare cingulum cum venia Imperatoris deposuerunt, aut ex propria culpa dimissi sunt, ab iniqua hac lege dimoveret. Ut patet ex litteris ad *Italia, & Illyrici* Metropolitans datis *lib. 7. Epist. 11.* item hanc legem circa servos Monachari volentes servari jussit in Synodo Romana *lib. 4. Epist. 44.* Quoad alterius fortis homines *Justinianæ* Constitutioni nec *Gregorius M.* morem gessit, ut constat ex *Epist. 23. lib. 8.* nec *Innocentius III.* nec ejus Successores *Honorius III. Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV. Bonifacius VIII.* qui omnes *annalem* duntaxat terminum probationi regulari posuerunt, prout videre est apud *Christianum Lupum tom. 4. in Schol. ad Decret. I. Leonis IX. pag. 291. & seq.* qui dd. PP. Constitutiones circa hoc punctum emissas, ac in simul fata, quæ earum executionem remorata sunt, distincte recenset. Judicet jam æquus lector, & à partium studio alienus, uter *Rabulistarum* numero accensendus sit, *Innocentius III.* Sapientissimus, juriumque peritissimus Pontifex, an ejus temerarius censor *Boehmerus*?

Atque hæc sunt potiora, eaque 71
crassiora scommata, nodosæque calumnix, quibus statum regularem.

con-

conspurare non erubuit Bœbmerus. Sed quid lucri inde habet? Hoc, quod à fatuis laudetur, sapientes ipsum derideant, & quod commune calumniantium fatum & ipse experiri necesse habeat, videlicet, quod in foveam, quam aliis fecit, ipse inciderit: nam, ut ait S. Augustinus in Psalm. 55. v. 10. *Qui querunt nodos facere calumnias, prius ipsi implicantur, quam quos implicare contendunt: prius ipsi capiuntur, & pereunt, quam alios capiant, ut pereant.*

TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

PRæsens Titulus rursus heterodoxis lapis offensionis, & petra scandali est: non enim capiunt verbum hoc, quod SS. Pontifices in Decretalibus sub hac Rubrica positis tantam vim tribuant *Professione Religiosæ*, ut matrimonium *ratum*, & suo modo etiam *consummatum*, quod Christus voluit esse vinculum *indissolubile*, per eam dissolvi posse decernant. *Exorbitans* hoc jus vocat Bœbmerus *b. t. §. 1. Quod S. Scriptura ignorat, nec cuius Salvator uspiam meminit: docendi ergo sunt veritatem, & revelandum est ipsis Mysterium. Ausculta Bœbmere.*

§. Unicus.

An, & quomodo matrimonium per Professionem Religiosam dissolvatur?

S U M M A R I A.

1. *Matrimonium ratum per Professionem Religiosam quoad vinculum dissolvitur.*
2. *Non etiam per susceptionem SS. Ordinum.*
3. *Nec per solum ingressum in Religionem.*
4. *Quam tamen efficaciam Professioni Religiosæ quoad matrimonium consummatum non tribuimus.*
5. *Bene vero quoad thorum, id quomodo fiat, explicatur.*
6. *Hæc omnia Bœbmero irregularia videntur.*
7. *Error eidem eximitur.*
8. *Ac suismet verbis confoditur.*

Dico I. Matrimonium *ratum* tantum per Professionem Religiosam quoad vinculum dissolvitur, ita, ut pars remanens in sæculo ad secunda vota libere transire valeat. Hæc Conclusio inter orthodoxos est